

SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650 .
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).
24 Dec., 1889.

DE

M. CAELIO RUFO ORATORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HEINRICUS WIESCHHOELTER

LIESBORNENSIS.

LIPSIAE

TYPIS FRANKENSTEINI & WAGNERI

MDCCCLXXXV.

MEMORIAE

PARENTUM OPTIMORUM

SUMMA PIETATE

COLENDAE

S.

M. Caelius Rufus in numero eorum oratorum est, quos Cicero laudibus prae ceteris aequalibus ornavit[1]), quamquam mores eius cum ingenio minime convenire haud ignorabat[2]). Sed non solum eloquentium ille Romanorum princeps, cuius familiaritate Caelius per totam vitam usus est, complura de eo nobis tradidit, verum etiam a posterioris aetatis scriptoribus memoria eius servata et culta est. Atque cum ingenium eius, indolem, eloquentiam viri illi eruditi laude saepius digna habeant, doleant mores, tempora, mortem iniquam[3]) non inutilem operam navasse mihi videor, si collectis iis et dispositis, quae de oratore illo veteres nobis prodiderunt, in vitam eius accuratius inquisivero, quamquam haud ingnoro nostra quoque memoria viros doctos ad Caelii vitam enarrandam occasione data incubuisse. Sed cum de singulis partibus singuli disseruerint, itaque satis multa nondum explanata sint, tantum abest, ut illorum studiis a proposito mihi opere deterrear, ut excitarint.

Inspiciendi autem potestas mihi fuit recentiorum scriptorum libros hos:

Drumann: Geschichte Roms in seinem Untergange von der republican. zur monarch. Verfassung, Koenigsb. 1834, II. p. 411—422.

Meyer: Oratorum Roman. fragmenta, Turici 1842, p. 458 — 470.

---

1) Cic. Brut. 79, 273.

2) cf. ep. ad Att. 6, 1, 21, ad fam. 2, 5. 5 et quae de orat. pro Caelio habita enarrabimus.

3) Maxime concinnum de eo iudicium Quintilianus tulit hisce: ‚dignus vir, cui et mens melior et vita longior contigisset‘, inst. orat. 10, 1 115. ed. Spalding.

A. Haakh: Pauly's Realencyclopaedie, Stuttg. 1842, II. p. 477—480.

Ellendt: Brevis eloquentiae Romanae usque ad Caesarum aetatem historia, praemiss. edit. Cic. Bruti, Regimontii 1844, p. 123—129.

Schwabe: Quaestiones Catullianae, Gissae 1862.

Boissier: Cicéron et ses amis, Paris 1874, p. 167—219.

Wegehaupt: M. Caelius Rufus, progr. No. 141, Bresl. 1878.

Atque ut ordinem certum sequamur, de Caelii stirpe ac familia pauca praemittamus. Gens Caelia [1]) antiquissima fuisse videtur, cum veteres iam de origine eius dissenserint. Alii enim Caelios a Caelo deo nomen et stirpem duxisse, alii a Caelio Vibenna ortos esse tradiderunt [2]), qui olim Romanis auxilium contra hostes externos tulisse et monti Caelio nomen dedisse fertur [3]). Eius a stirpe se prognatos esse Caelii Caldi iactaverunt [4]). Fuerunt enim Caeliae gentis familiae duae, Caldi et Rufi, quorum illi quidem priores, sed cum gens plebeia esset, sero demum neque sine magnis laboribus et nobilium inimicitiis [5]) ad magistratus remque publicam accesserunt. Nam C. Caelius Caldus, L. Crassi oratoris aequalis [6]), homo novus, primus Caeliorum summis honoribus functus est gentique laudem attulit [7]). Consulatum autem gessit cum L. Domitio Ahenobarbo 660/94 [8]). Inter eos, qui postea fuerunt Caelii, notissimi sunt C. Caelius Caldus, qui quaestor in Cilicia fuit Ciceronique

---

[1]) Nomen in antiquis nummis et marmoribus per ae et oe diphthongos scriptum (Pighius ann. III. p. 28) per ae nobis scribendum esse allatis exemplis satis probasse mihi videntur Niebuhr: Röm. Gesch. I. p. 215, Anm. 926, et Brambach: Lat. Rechtschr. p. 28.

[2]) Pigh. l. l.

[3]) Quonam tempore, quo rege Romano id factum sit, rerum scriptores inter se discrepant. cf. Tac. ann. 4, 65 et quae in edit. annot. Nipperd. et Niebuhr. l. l.

[4]) Pigh. l. l. [5]) Cic. in Verr. 5, 70, 181.

[6]) Cic. de or. 1, 25, 117.

[7]) Cic. l. l. Brut. 45, 165. pro Planc. 21, 52. [8]) Drum. II, 409.

in provincia successit[1]), et M. Caelius Rufus, de quo accuratius agere nobis in animo est. Quatenus vero inter se cognati fuerint singuli, qui Caelio nomine usi sint, indagari non potest.[2]) De unius M. Caelii Rufi parentibus pauca nobis tradita sunt, quae, priusquam de filii vita exponamus, enarrare liceat.

Quidquid de M. Caelii Rufi patris rebus cognovimus, Ciceroni debemus, qui in oratione pro filio habita breviter illas perstrinxit atque attigit, unde haec fere colligimus: Caelius pater eques Romanus[3]) fuit, qui in municipio quodam habitabat.[4]) Res eius secundae nec tenues fuisse videntur, cum praeter domesticas in Africa quoque possessiones habuerit.[5]) Atque cum filii obtrectatores parsimoniam[6]) eius illuserint et erga filium nimis parcum et tenacem eum esse[7]) obiecerint, admodum locupletem eum fuisse constat[8]). Etiam in urbe domum habuisse videtur. Reprehensum enim est, quod filius ab eo semigrarit[9]), unde nullum probrum sumere licuit, nisi pater in urbe tum aetatem degisset, cum filius iam rebus publicis studere coepisset. Quod porro Cicero patris dignitatem et inter cives auctoritatem celebrat eumque forum olim frequentasse praedicat, in quo propter senectutem iam diu minus versetur[10]) adducimur, ut putemus eum una cum filio in urbem venisse. Quem in educandum cum acrem curam diligentiamque usque contulisset[11]), quid mirum, si ab eo discedere noluit, postquam eum ad Ciceronem deduxit[12]), ut erudiretur, praesertim cum unicus esset filius[13]). Cuius cum causa acta est, et pater et mater iudicio affuisse videntur summam senectutem adepti[14]). Haec habui de parentibus[15]); iam transeamus ad filii vitam enarrandam.

---

[1]) Cic. ad fam. 2, 15, 4. ad Att. 6, 6, 3 (Cic. opera ed. Orelli, 1845, pars III).

[2]) Drumann II, 408 sq. [3]) Cic. pro Cael. 2, 4. [4]) ib. 2, 5.

[5]) ib. 30, 73. [6]) ib. 2, 3. [7]) ib. 15, 36. 16, 38.

[8]) Unde Drum. II, 411, eum nimio faenore iniustas divitias parasse collegerit, non video. Causas non affert.

[9]) p. Cael. 7, 18. [10]) ib. 2, 3. 4. [11]) ib. 4, 9. 5, 11. 30, 72.

[12]) ib. 4, 9. [13]) ib. 32, 79. [14]) ib. 2, 4.

[15]) Errat Drum. verba Cic., quae sunt ad Att. 7, 3, 6, ad Caelium patrem referens (II, 411), cum ad filium pertineant. cf. ad fam. 8, 14, 3.

Quo anno M. Caelius Rufus natus sit, optime quidem a Plinio[1]) traditum esse videtur his verbis: ‚C. Mario Cn. Carbone III coss.[2]) a. d. quintum K. Iunias M. Caelius Rufus et C. Licinius Calvus eadem die geniti sunt, oratores quidem ambo, sed tamen dispari eventu.‘ Sed nihilo minus id viri docti dubitaverunt, istis verbis iure offensi. Primus errorem iis inesse cognovit Nipperdeius[3]), qui argumentis a Caelii honoribus petitis eum priore quodam anno, quam 672/82, natum esse demonstravit. Addit, quod Cicero in Bruto suo prius de Caelio[4]) solo agit quam interposito Calidio de Calvo et Curione[5]) res est. Gravissimum vero argumentum eum effugit. Cicero enim dicit Caelium sumpta toga virili ad se deductum esse[6]), anno autem 688/66 assiduum secum fuisse[7]), unde luce clarius est eum ante annum a Plinio traditum natum esse. Duplicem vero loci citati emendandi modum vir ille doctus excogitavit dicens Plinium aut Caelii nomen pro alius cuiusdam oratoris nomine scripsisse, aut in Carbonis consulatibus errasse. In priorem sententiam ductus est loco illo Ciceroniano[8]), ubi Calvi et Curionis nomina iuxta se posita leguntur. Inde sumpsit Plinium Caelii et Curionis nomina inter se permutasse, praesertim cum Calvum et Curionem aequales fuisse ea docerent, quae de utroque tradita essent; Tacitus[9]) autem non occultis verbis dixisset Caelium illis maiorem natu esse. Sed ut praetermittamus, quod ex hoc uno Nipperdei argumento non licet concludere etiam Plinium de Curione una cum Caelio cogitasse, satis causae est, cur ad alteram viri docti sententiam confugiamus.

---

[1]) h. n. 7, 49, 165. Falso in codd. legi ‚Caecilius‘ pro ‚Caelius‘ saepiusque nomina permutata esse demonstraverunt Colerus ad Val. Max 4, 2, 7; Ruhnkenius ad Vell. Pat. 2. 67, qui etiam in Plin. h. n. 27, 2, 4, ‚Caelius‘ pro ‚Caecilius‘ legi vult. Quam opinionem satis refutasse mihi videtur Nipperdeius in Mus. Rhen. 19, p. 289. Anm. 2.

[2]) i. e. anno 672/82. [3]) l. l. p. 289—291. [4]) 79, 273.

[5]) 81, 279. [6]) p. Cael. 4, 9. [7]) ibid. 10.

[8]) Brutus 81, 279.

[9]) dial. de or. c. 17. Omnis Nipperdei dissertatio, inscripta: vorläuf. Bemerk. zu den kleinen Schriften des Tacitus, postquam singulae partes in Mus. Rhen. 18. 19. editae sunt, iterum impressa est in eius opusc. Berol. 1877 p. 223—340.

Plinii enim verbis, quae allatis illis proxima antecedunt et quae sequuntur, adducimur, ut Carbonis consulatus ab eo confusos esse statuamus. Exponit autem illo loco scientiam sideralem non tantum valere, ut vitae hominis spatium accurate praedicere possit, cum praeter alias causas mortalitatis inconstantia vim scientiae deminuat. Illam expertos esse Hectorem et Polydamantem, quos quidem diversae sortis viros eadem nocte natos esse Homerus tradiderit. Item M. Caelium Rufum et C. Licinium Calvum, homines eadem die genitos, disparem vitae eventum habuisse. Pergit deinde hisce: ‚hoc etiam iisdem horis nascentibus in toto mundo cotidie evenit, pariter domini ac servi gignuntur, reges et inopes.‘ Quo ex verborum contextu satis elucere mihi videtur fieri non potuisse, ut Plinius de alio quodam homine cogitans Caelium nominaret[1]). Itaque persuasum habemus scriptorem Carbonis de consulatibus tali in errore versatum esse, ut tenendum sit Caelium et Calvum eadem quidem die natos esse, sed illum L. Cinna III Cn. Carbone coss. 669/85, hunc C. Mario Cn. Carbone III coss. 672/82. Qua cum sententia et ea, quae de Caelii muneribus publicis memoriae prodita sunt[2]), bene congruunt, et satis multa de eo comperta habemus, quae minus apte explicantur, si priorem annum natalem tenemus. Quaestura enim non ante annum 699/55 functus est; ceteri vero magistratus suo ordine subsecuti sunt. Nam quod, antequam quadragesimum vitae annum iniit, praetor creatus est, neque inter aedilitatem et praeturam eius iustum spatium muneribus publicis vacuum interfuit, rei publicae et urbis illo tempore condicione et familiaritate, qua cum imperatore coniunctus erat, satis excusatur. Deinde ex iis, quae Cicero anno 698/56 pro Caelio locutus est, apparet

---

[1]) Eadem est sententia Wegehauptii (p. 6), qui tamen putat Plinium in fontibus, ex quibus hauserit, Caelii cuiusdam nomen iuxta Calvi invenisse, sed de C. Caelio Caldo rem esse, qui anno 704/50 quaestor fuit et Ciceroni in Cilicia successit (ad fam. 2, 15, 4. ad Att. 6, 6, 3. saepius). Sed cum Plinius de notis oratoribus agat, Caelius Caldus autem oratoriam laudem adeptus non sit, Wegehauptius erravit.

[2]) Suo loco singula explanabims.

eum tum annum tricesimum nondum intrasse[1]). Porro tempus, per quod Caelius Ciceronis in consuetudine cotidiana fuit huiusque disciplina usus est, nimis extendit, qui ante annum 669/85 illum natum esse ponit. Paullo enim post sumptam togam virilem ad eum deductus[2]) per quattuor quinqueve annos[3]) cum praeceptore versatus est, quamquam iam superiore tempore unus annus ad cohibendum bracchium toga constitutus fuerat[4]). Tacitum[5]) denique testem habemus adulescentium eruditionem paullo post vicesimum vitae annum finitam fuisse. Iam satis demonstrasse mihi videor nihil obstare, quominus anno 669/85 Caelium natum esse contendamus, neque cum Wegehauptio faciamus, qui abiectis veterum testimoniis triennio maiorem eum fuisse sibi persuasit[6]).

Suboritur porro quaestio difficilis, quae Caelii patria fuerit, de qua nostra memoria multum inter viros doctos disceptatum est. Causa autem haec est. In Ciceronis pro Caelio habita oratione[7]) olim legebatur: ‚nam quod est obiectum, municipibus esse adulescentem non probatum suis: nemini umquam praesenti Puteolani maiores honores habuerunt, quam absenti M. Caelio.‘ Inde Puteolis eum natum esse omnes putarunt. ‚Puteolani‘ vocabulum autem non invenitur in codicibus, qui Caelianam continent, quorum, qui optimus et antiquissimus[8]) est, Parisinus 7794, ‚praetoriani‘ praebet, sed syllabas ‚tori‘ manu secunda in rasura[9]), quare Aldus e coniectura ‚Puteolani‘

---

1) cf. 2, 3. 5. 4, 10. 11. 5, 12. 12, 28. 30. 15, 35. 19, 47. 30, 73. 31, 75; ne videar errasse, moneo me ad suos annos singulos locos redegisse neque ad annum 698/56 rettulisse, quae ad superiores pertinent. De iis, quae loguntur p. Cael. 7, 18, quaeque huic sententiae obstare videntur, nostra afferemus, quando de Caelii honoribus agemus.

2) p. Cael. 4. 9. 3) ib. 10. 4) ib. 5, 11.

5) dial. de orat. c. 34. 6) l. l. p. 4 sq. 7) 2, 5.

8) Halm, Interpol. in. cic. Reden, Mus. Rhen. 9, 323 sq. Wrampelmeyer, libr. mss. qui Cic. or. pro Sest. et pro Cael. continent ratio qualis sit, Gott. 1868, p. 4. Oetling, lib. mss. qui Cic. or. p. Cael. continent condicio etc., Gott. 1868, p. 1.

9) Oetl. p. 11: P. exhibet ‚praetoriani‘, sed syllabae ‚tori‘ manu secunda in rasura scriptae sunt. Wrampelm. p. 5: P² G ‚praetoriani‘, sed P² in rasura.

in textum recepit; ceteri autem omnes ‚praetoriani' exhibent. Primus in tradita lectione offendit Garatonius[1]), quod Puteoli oppidum non municipium sed colonia fuerit. Sententiam eius secuti sunt complures viri docti[2]), quorum alii alius oppidi nomen proposuerunt, ut Reatini, Praetutiani[3]), Arretini, quos omnes refutavit Orellius[4]), qui Praenestini in textum recepit. Deinde Vollenhovenius[5]) nomen proprium omnino isto loco tenendum non esse censuit, sed ipse sententiam hanc missam fecit, quod sublato nomine proprio non exstaret ullus in veterum scriptis locus, unde, quae Caelii patria fuisset, colligeretur. Ideo ‚Veronenses' legi vult ratione habita verborum, quae in Catulli carmine centesimo habemus, de quibus, quando nobis de Caelii cum Catullo consuetudine res erit, nostra afferemus. Baiterus porro ‚Tusculani' in textum inseruit[6]), quae quidem coniectura cum bene sit inventa, tamen veritatis speciem vix prae se fert[7]). Wegehauptius[8]) denique Caelium fortasse Cumanum fuisse putat propter crimina in eum ab accusatoribus delata[9]) et propter possessiones paternas in Africa[10]). Cumas enim et prope Puteolos et Neapolim sitas esse, ut Cumanus haec loca facillime obeat, nec longe a mari abesse, ut eum in Africa negotiari mirum non sit. Sed cur, qui remotiore a mari loco habitet, possessiones transmarinas sibi parare non possit, non intellego. Cum autem Caelium Baias frequentasse[11]) notum sit, satis habuit occasionis, ut vicinitatem cognosceret. Iam apparet, singulas quas attuli virorum doc-

---

Puteolani desumpta ex § 23. Verba absenti M. Cael. lacunam Parisini indicant. Barwes, quaest. tull., Gott. 1868, p. 23., ‚priestutiani' se in cod. legisse contendit.

1) M. Tull. Cic. op. tom. X. p. 384.

2) Fusius rem tractavit Madvigius: opusc. acad. priora, Hauniae 1834, p. 375 sq.

3) Gruterus, quem Barwes l. l. secutus est.

4) in ed. p. Cael. or., Turici 1832, p. 10.

5) disp. de emend. aliquot loc. ex or. tull. p. Cael. hab., Lugd. Bat. 1839, p. 16.

6) in append. ed. Orell. p. 1451. 7) Wramplm. p. 5. 8) p. 2 sq.

9) p. Cael. 10, 23. 10) ib. 30, 73.

11) ib. 11, 27. 16, 38 saep.

torum sententias eodem fundamento niti, quippe qui omnes sibi persuaserint in codicibus loco illo, de quo agitur, nomen proprium scriptum fuisse, Caeliumque in municipio natum esse. Codicum lectionem autem ita depravatam esse, ut librarius priores litteras vocabuli ‚praesenti', quod praecedit, iterum scripserit servatis extremis nominis corrupti syllabis. Cuius argumentationis priore parte missa Oetlingius, de origine vitii viris illis doctis assentiens, ‚oppidani' vocabulum in textum recipiendum esse censuit [1]). Sed cum subiectum enuntiationis in antecedenti voce ‚municipibus' insit, cuius repetitio hiantem reddit verborum compositionem, desideretur autem vocabulum sequenti ‚M. Caelio' oppositum [2]), casus et numeri ratione habita in illo quoque offendimus. Magis quidem nobis placeret ‚oppidano', quod ad sensum loci convenit, sed propter syllabam extremam minus bene ex tradita lectione derivatur. Ut res se habet, loci emendandi facultate caremus. Ita vero in eas angustias adducimur, ut confitendum nobis sit nos ignorare Caelii patriam, cum nusquam eius mentio fiat. Sed Ciceronem eam isto loco non nominasse eo probatur, quod omnes, qui loquentem audiverunt, quae Caelii patria esset, sciverunt. Ceterum errare mihi videntur ii, qui Garatonium secuti [3]) propter Ciceronis verba [4]) ‚municipibus' et ‚municipio tam illustri ac tam gravi' contendunt Caelium in oppido quodam natum esse, cuius cives iam anno 416/338 iura municipalia adepti sint. Lege enim Iulia 664/90 [5]) omnibus civitatibus foederatis civitas cum suffragio data est [6]), municipum ergo

---

[1]) p. 12.

[2]) idem sensisse videtur Bakius, scholica hypomnemata III p. 285, dicens: ‚in voce ‚praesenti' nomen propr. inest, cui per errorem addita est aliqua appellatio, unde tum demum in opposita periodi parte molesta illa, ‚quam absenti M. Caelio' aliquis adscripsit. In codd. E et χ enim ‚praesenti' et ‚quam' non leguntur, in optimis ‚absenti' abest. Sed oppositionem verborum tenendum esse inde perspicitur, quod vocab. ‚absens' statim repetitur.

[3]) cf. p. 7 sq. [4]) p. Cael. 2, 5.

[5]) Lange, Röm. Altert. II [3], 110. Pauly's Realencycl. V, 222 sq.

[6]) nisi eam respuerunt. ib.

iura et instituta inde habuerunt [1]). Denique ex istis oratoris verbis non necessario sumitur Caelii patriam oppidum antiquitus notum fuisse, cum Cicero, quae ad amicum pertinent honesta, magnopere auxerit.

Operam, quam pater in educando puero consumpsit, etsi Cicero nimis fortasse laudavit, tamen educatio filii unici magnae ei curae fuisse videtur. Nam cum adolevisset, pater non iam destitit curare, ut libidines eius coerceret, itaque, quamquam locuples erat, parcum et tenacem erga filium se praestitit [2]). Maxime autem spectavit, ut indoles atque ingenium [3]) eius colerentur magnamque aliquando nominis famam sibi pararet. Quam ob rem Caelius sumpta toga virili a patre deductus est ad Ciceronem [4]), nondum praetorium sed eloquentiae iam et probitatis opinione clarum virum [5]), ut artibus liberalibus erudiretur. Fuit enim illius singularis quaedam laus, ut non solum ipse adiret omnes humanae scientiae fontes, sed etiam aliis patefaceret eosque ingenti studio dicendi impleret. Inde factum est, ut vix alium in litteris ducem adulescentes circumspicerent neque ad alium se applicarent [6]). Domum eius frequentaverunt iuvenes nobiles Pansa, Hirtius, Dolabella, Plancus, Calvus, alii [7]), qui posteriore aetate plurimum famae collegerunt, cum cotidie in foro versati et magistrum vestigiis consecuti pugnare in proelio didicissent [8]). Atque Caelius quidem, cum iis naturae et educationis bonis instructus esset, ut ex Ciceronis consuetudine, ac familiaritate magnum fructum

---

[1]) Vocab. ‚municipes' Cicero eo quoque sensu utitur, ut homines eodem loco natos complectatur. Brutus 70, 246. ad Quir. p. red. 8, 19. ‚Municipium' autem nomen cum ‚colonia' saepius confunditur. ad. fam. 13, 13.

[2]) p. 3 sq. [3]) p. Cael. 1, 1.

[4]) ib. 4, 9. cf. p. 6. Marquardt Röm. Privatalt. I, 126.

[5]) Westermann: Gesch. d. Bereds. II § 62, 24.

[6]) Ellendt p. 123.

[7]) ep. ad fam. 9, 16, 7. 18, 1. Quint. 8, 2, 4. 3, 54. 12, 11, 6. Ellendt l. l.

[8]) Tac. dial. c. 34.

percipere posset, usitato more diutius domum eius obiit.[1]) Ante annum 690/64 enim numquam ab eo recessit.[2]) Quare non licet mirari virtutem adulescentis oratoriam tantam exstitisse, ut etiam praeceptorem dicendo aliquando superaret[3]), utque posterioris aetatis viri diserti atque eruditi summis illam laudibus ornarent.[4]) Per illud tempus Caelius honestissimis studiis atque artibus totum se dedit et, quod omnibus aetatis suae propriis virtutibus praeditus virisque bonis probatissimus fuit, dignus est habitus, qui maiorum natu amicitiis frueretur, quorum imitari exempla sibi proposuisset[5]). Itaque iam tum eundem, quem optimi ac nobilissimi, petere cursum laudis visus est, atque cum illustri esset ingenio[6]), nec labor et industria ei deessent, ut diligentissime in foro et in negotiis versaretur[7]), fundamenta iecit famae oratoriae, quam et aequales et posteri ei tribuerunt. Etsi non negamus Ciceronem discipulum familiarem maioribus his quam par fuerit laudibus ornasse, tamen non omnes immerito in eum collatas esse putamus. Magnum enim temporis spatium, quod una cum praestantissimo oratore eiusque amicis[8]) degit, testimonium est bonorum morum atque studiorum honestorum, quae postea quidem inconstantia adulescentis et temporibus depravata sunt. Aciem autem mentis et causis, quas egit in iudicio[9]), et epistulis, quas de rebus publicis ad Ciceronem in Cilicia proconsulem conscripsit[10]), probavit, ut hic iure eum hominem longe in

---

[1]) p. 6.

[2]) p. Cael. 4, 10; haec verba magni momenti esse mihi videntur, ut demonstremus Caelium non ante annum 669/85 natum esse. Cum enim inde ab anno 688/66 singula enarrentur, verisimile non est eum multo ante ad Ciceronem deductum esse. Verbis praeterea, quae sequuntur, doceri mihi videtur illum non amplius quinque annos huius consuetudine usum esse.

[3]) Antonium maiestate et coniuratione damnans.

[4]) Cic. Brut. 79, 273. Tac. dial. 17. 21. 25. Quint. 10, 1, 115. 2, 25. 12, 10, 11. Vell. 2, 36. 68.

[5]) p. Cael. 30, 72. [6]) ib. 1, 1. [7]) ib. 31, 74.

[8]) imprimis M. Crasso; ib. 4, 9.

[9]) suo ordine temporis ratione habita de singulis acturi sumus.

[10]) epp. ad fam. 8, 1—14, quas postea secutae sunt 15—17.

posterum prospicientem et rerum publicarum peritissimum appellaret [1]).

Hic iam locus esse videtur, ut quaeramus, utrum verba quaedam a Cicerone in Verrem composita [2]), in quibus de M. Caelio res est, ad M. Caelium Rufum referenda sint, annon. En habes verba: ‚Tu a M. Caelio, equite Romano, lectissimo adulescente, quae voluisti Lilybaei abstulisti'. Scelus istud factum est anno 683/71 [3]), quo Caelius puer quattuordecim annorum [4]), non iam adulescens equesque Romanus fuit neque patris domum reliquerat. Inde apparet eum a Verre bonis spoliatum non esse. Pater autem eius illo tempore adulescentiam iam diu superarat [5]), ut ad hunc verba illa referre non liceat. Diiudicare igitur non possumus, quis Caelius ille fuerit.

Caelius a praeceptore recessit, quo anno hic consulatum petivit cum Catilina iterum petente [6]). Propter ambitus acerrimos, quibus hic et C. Antonius Hybrida se commaculaverunt, et consilium evertendae rei publicae, quod a Catilina captum et pervulgatum iam erat, Cicero maximam operam dedit, ut ille repulsam ferret [7]). Interim Catilina permultos senatores, equites, iuvenes nobiles sibi conciliavit [8]) Caeliumque ab aemuli partibus ad suas traduxit. Cicero ipse postea mutatam per aliquod tempus adulescentis sententiam excusavit [9]), quod talis Catilinae indoles totque virtutes fuissent, ut vel peritissimos viros adstrictos haberet, nec multum afuisset, quin ipse ei faveret [10]). Quantam vero consiliorum ad rei publicae detrimentum

---

[1]) ad fam. 2, 8, 1.

[2]) in Verr. 4, 17, 37. causa acta est a. 684/70 Caelio puero quindecim annorum. Teuffel, Gesch. d. röm. Litt.[4] § 179, 6—11. Pauly VI, 2, 2186.

[3]) ib. 2471. [4]) cf. p. 4 sq. [5]) cf. p. 3.

[6]) p. Cael. 4, 10. Ascon. in or. in tog. cand. V[2], p. 82. Orelli. Pauly VI, 1, 1068 sq.

[7]) or. in tog. cand. contra competitores habuit. Orelli l. l. p. 82—95. Pauly l. l.

[8]) Drum. V, 415 nomina eorum enarrat. [9]) p. Cael. cc. 5. 6.

[10]) ib. 6, 14. defendit Cat. repetund. reum. Pauly VI, 1, 1069.

spectantium partem Caelius habuerit, Catilinaeque scelera quatenus sua fecerit, non constat. Numquam quidem inter coniuratorum nomina Caelii nomen auditum est[1], nisi cum causa eius de vi acta est, ut magno quidem scelere eum se non obstrinxisse certum sit. Cum autem Cicero pro eo locutus non omnem rem negarit, sed contra illud accusatorum opprobrium nihil dixerit, nisi propter amicitiam Caelii cum Catilina titubanter et strictim obiectum esse[2], plane ab ea abhoruisse non videtur[3]. Inde enim, quod Antonium de coniuratione Catilinaria accusavit, non minus cum Drumanno[4] licet sumere Caelium suspicionem in se ortam ita reicere studuisse, quam cum Cicerone[5] contendere eum numquam coniurationis accusatione adulescentiam suam potissimum commendaturum fuisse, nisi inimicissimus istius sceleris fuisset.

Catilinariae coniurationis flammis exstinctis sceleribusque nefariis prostratis Caelius cum Q. Pompeio Rufo in Africam profectus est, ut possessiones paternas inspiceret et administrationem provinciae cognosceret[6]. Ea enim tum fuit aetate, cui istud studium a maioribus tributum erat. Iam quaerendum nobis est, quem in annum iter illud incidat. Quam quaestionem ut solvamus, in Pompei res gestas accuratius inquirere necesse est. Cicerone consule praetor fuit[7], itaque factum est, ut partem aliquam servatae rei publicae haberet. Paucis enim diebus post a. d. VI. K. Novbr. fama per urbem lata est[8], Capuae atque in Apulia servile bellum moveri aliasque Italiae partes in armis esse. Itaque senatus decreto[9] Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum ante K. Novbr.[10] missi sunt eisque permissum est, ut pro tempore atque periculo exercitum compararent[11]. Atqui scimus hunc etiam initio anni sequentis cum imperio ibi fuisse, cum Catilina

---

[1]) p. Cael. 7, 15. [2]) ib. [3]) Oetling p. 38.
[4]) II, 412. [5]) l. l. [6]) p. Cael. 30, 73.
[7]) Sallust. de Cat. coniur. c. 30. [8]) ib. Lange III, 248.
[9]) Sall. l. l. [10]) Cic. in Cat. 1, 3, 7. [11]) Sall. l. l.

circa Pistorium periit[1]). Cum autem socii eius nonnulli postea exstincti sint et tum demum per totam Italiam pax restituta sit[2]), verisimile est Pompeium ad id tempus Capuae mansisse, ne novi ibi tumultus orerentur, praesertim cum P. Sestius[3]), qui in illis regionibus cum exercitu fuerat, ut primum palam ad arma ventum est, revocatus sit, ut suum cum C. Antonii exercitu in Etruria coniungeret. Romam igitur revertit Pompeius praeterita iam aliqua anni 692/62 parte et in sequentem annum Africam provinciam sortitus est. Neque vero inde, quod Q. Metellus Celer anno 692/62, postquam Cicero, proconsul in Gallia, magistratu se abdicavit[4]), hanc provinciam pro consule obtinuit[5]), quippe qui ibi iam cum exercitu versaretur, sequitur eodem tempore Pompeium in remotiorem Africam provinciam abiisse[6]). Tenemus igitur sub finem fere anni 692/62 Caelium cum Pompeio profectum esse. Quae nostra argumentatio ea quoque re probatur, quod per annum 692/62 complures in ius vocati sunt, qui Catilinae familiares fuerant[7]). Atque haud scio an etiam Caelius iniqua fama usus sit propter Catilinae amicitiam timueritque, ne et ipse accusaretur coniurationis, itaque, periculum ne subiret, iter in Africam ingressus sit. Qua cum sententia convenit, quod paullo post reditum crimine in Antonium collato[8]) rumores adversos exstinxit, famae consuluit[9]). Quamdiu in Africa fuerit, non liquet. Sed cum consuetudo ferret, ut imperium proconsulare annuum esset[10]), Pompeium et Caelium anno 694/60 una — hic enim contubernalis illi erat[11]) — rediisse mihi

---

[1]) mense Ianuar. Lange III, 257. [2]) ib. 258.

[3]) pro Sestio 4, 9. [4]) Drum. II, 26. [5]) ad fam. 5, 1. 2.

[6]) Schwabe, quaest. Catull. p. 64, Pompeium anno 692/62 proconsulem fuisse ob hanc causam contendit.

[7]) Drum. V, 569. Lange III, 258. [8]) v. infra.

[9]) p. Cael. 7, 18. [10]) Lange I, 748.

[11]) p. Cael. 30, 73. Forcell. Lex. s. v. contubernalis: ‚magistratuum militiarum in provincias abeuntium comites adiungebantur ex more Romanorum, senatorum filii, qui ab iis tum militarem disciplinam, tum gubernandi artes discerent. hi quoque contubernales dicti, quod ab eorum latere numquam discederent'.

probatur. Certum' est sub finem anni Caelium Romae fuisse [1]).

Ut permulti adulescentes oratoriam sibi laudem paraturi vetere instituto tirocinium eloquentiae in accusandis hominibus nefariis et sceleratis ponebant [2]), quod quidem munus minus laudabatur quam defendendi [3]), sic M. Caelius Rufus ab hac origine cursum duxit oratorium. Neque postea via inita deversus est, sed tam accusandi cupidus fuit, ut inimicitias appeteret et vel innocentes in iudicium vocaret capitis sui periculo neglecto [4]). Quare Cicero bonam eum dextram habere dixit, malam sinistram [5]), melioresque eius accusationes fuisse praedicat, quam defensiones [6]). Tanta autem fuit gloriae cupiditate [7]), ut C. Antonium Hybridam, Ciceronis in consulatu collegam, accusaret, ut primum forum attingere coepit. Qui vir [8]), M. Antonii oratoris filius minor, Sullae in exercitu stipendia fecerat ab eoque cum equitatu in Graecia 671/83 relictus erat, qua occasione usus est, ut spoliando magnas divitias congereret, quam ob rem repetundarum accusatus est [9]), causa tamen non acta. Postea cum Cicerone praetor fuit et ad consulatum cum eo pervenit. Catilinae autem consiliis in consulatus petitione iam faverat [10]) et, cum paullo post ad arma ventum esset, ad Petreium legatum imperium detulit [11]), ne contra amicum in proelio pugnaret. Pace restituta Macedoniam provinciam proconsul obtinuit, quam tantopere vastavit et spoliavit, ut, nisi Cicero impedivisset, ne revoraretur [12]), iam tum reus factus esset. Anno autem 694/60 C. Octavius Antonio successit, cuius

[1]) cf. p. 15 sq. ad Att. 2, 2, 3. Nigidius iudex quaest. fuisse videtur. cf. Lange I, 879. Zumpt, Criminalpr. p. 10. ep. ad Q. fr. 1, 2, 16.

[2]) p. Cael. 30, 73. Tac. dial. deor. c. 34. Quint. 12, 6, 1.

[3]) Cic. de off. 2, 14, 49.

[4]) p. Cael. 7, 16. 19, 47. Brut. 79, 273. Quint. 6, 3, 69. 10, 1, 115.

[5]) Quint. 6, 3, 69. [6]) Cic. Brut. l. l. [7]) p. Cael. 31, 74.

[8]) Drum. I, 531 sq.

[9]) cf. schol. Bob. in or. in tag. cand. p. 84. Orelli. [10]) p. 11.

[11]) morbum praetendens. Lange III, 257.

[12]) ep. ad. fam. 5, 6, 3. ad Att. 1, 12, 1.

nomen iam, priusquam in urbem rediit, delatum est[1]). Repetundarum[2]) eum reum fecerunt Q. Fabius Maximus[3]), C. Caninius Gallus[4]), M. Caelius Rufus[5]). Quorum quis accusarit, qui subscriptores fuerint, non diiudicarim. Magis quidem mihi placet Zumptii[6]) sententia, qui Ciceronis in Vatinium dictis nisus Maximum accusasse putat, quam Drumanni[7]), qui ex Valerii verbis sumpsit Gallo potissimum accusationem deberi. Caelius autem in crimine coniurationis magis quam repetundarum operam consumpsit[8]), quamquam etiam provinciae administrationem Antonii acerrime perstrinxit[9]). Acta est causa apud praetorem Cn. Lentulum, Clodiani filium[10]). Cicero, quamquam iam diu propter ingratum Antonii animum ab eo dissenserat[11]), invitus reum defendit, permotus discidio quodam, quod ipsi cum Caesare, auctore criminum in consularem collatorum, erat[12]). Sed nihilominus Antonius causa cecidit[13]) atque Cephalleniae[14]) in exsilio coniurationis potissimum poenas dedit[15]). Caelii autem industriae, qui hanc partem accusationis sibi sumpserat, condemnatio imprimis debetur.

Restat, ut in tempus iudicii accuratius inquiramus. Supra diximus nomen Antonii delatum esse sub finem anni 694/60, priusquam ex Macedonia provincia in urbem redierit. Attamen per aliquod tempus res dilata est, ut Ciceronis testimoniis

---

1) ad Att. 2, 2, 3. Qui munere publico fungentes ab urbe aberant, eorum quidem nomina deferre licuit, causa autem agi non debebat ante reditum. Zumpt, Criminalprocess, p. 78 sq.

2) Ellendt p. 127. Lange III, 283. Zumpt p. 497 sq., qui refutat de duabus Ant. causis cogitantes.

3) Cic. in Vat. 11, 28.

4) qui filiam Ant. postea in matrimonium duxit. Val. Max. 4, 2, 6.

5) p. Cael. 7, 16. 19, 47. 31, 74; se invito factum esse contendit Cic. l. l.

6) l. l. 7) I, 539 Anm. 27.

8) Cic. p. Cael. l. l. pro Flacco 2, 5. 38, 95. schol. Bob. 229. 321, 6.

9) cf. fragm. orat. eius ap. Quint. 4, 2, 123. 9, 3, 58.

10) Lange III, 283. Cic. in Vat. 11, 27 Cn. Lent. Clodianum praetorem appellat.

11) ad Att. 1, 12, 2. ad fam. 5, 6, 3. saepius.

12) Dio hist. Rom. 38, 10. 13) p. Cael. l. l. 14) Strabo 10, 455.

15) Zumpt l. l. Lange III, 284. Catilinae sepulcrum postr. floribus ornatum fuit. p. Flacco 38, 95.

edocemur. Qui, cum aliquot annis post in Vatinium orationem vehementem haberet, obiecit eum tribunum plebis legem quidem aequam de reiciendis iudiciis tulisse, sed quamquam alias iam multas tulisset, exspectasse, dum Antonius reus factus esset, ut spoliaretur beneficio legis[1]). Lata est igitur lex aliqua anni parte praeterita. Porro Clodius, Ciceronis inimicissimus, ex voluntate Caesaris[2]) eo ipso die traductus est ad plebem[3]), quo ille Antonium contra Caesaris voluntatem[4]) defendit, postquam per totum anni superioris spatium res agitata est a Caesaris amicis[5]). A. d. XII. K.[6]) Maias autem Clodius tribunatum plebis iam petierat, ergo adoptatus ab homine plebeio erat. Sed ex iis, quae mense Martio[7]) Cicero ad Atticum scripsit, colligere licet eum initio huius mensis ad plebem transiisse. Quare pro certo habemus causam Antonii initio mensis Martii actam esse.

Magna ista victoria reportata Caelius a patre semigravit et in Palatio domum conduxit. Cuius rei causas Cicero affert, quod domus patris longe a foro afuerit, ex illo autem domicilio et facilius praeceptoris domum obire et a suis coli adulescenti licuerit[8]). Sed revera non tam studia illa honesta, quam mulieris cuiusdam illecebrae eum impulisse videntur[9]), ut patris domo relicta in P. Clodii insula habitaret[10]) maioresque habitationis sumptus faceret, quam pro patris parsimonia par esset[11]). Vicinus enim ibi fuit proximus Clodiae[12]), Pulchri sororis, mulieris libidinosissimae, cuius in consuetudine tum permulti

[1]) in Vat. 11, 27 sq. [2]) Cic. de prov. cons. 17, 42. 19, 46.
[3]) de domo sua, 16, 41. [4]) Dio l. l.
[5]) ad Att. 1, 18, 4. 19, 5. 2, 1, 5.
[6]) ib. 2, 12, 2. 4. cf. Lange I, 356.
[7]) 2, 4, 2. 6. cf. Bootii annot.
[8]) p. Cael. 7, 18. [9]) ib. 31, 75. [10]) ib. 7, 17.
[11]) ib. l. l. cf. 2, 3.
[12]) de vita et moribus eius accuratius egerunt Drum. II, 376 sq. Pauly II, 420. Schwabe l. l. p. 53 sq.

adulescentes nobiles[1]) versabantur, qui cum ea libidinibus et voluptatibus serviebant. Notissimus et praestantissimus eorum Catullus[2]) poeta est, qui Caelio familiarissimus erat, sed eius cum Clodia usu domestico ab eo alienatus est.[3]) Ita enim mulierem sibi conciliavit studiumque eius omne in se contulit, ut Catullum dimitteret amoremque eius sperneret. Inde factum est, ut hic acerbissimis in pristinum amicum versibus inveheretur, pestem amicitiae, crudele vitae suae venenum eum appellaret, quod familiaritate ita abusus esset, ut omnia bona poetae eriperet.[4]) Atque eo processit ira Catulli, ut turpissima vitia et obscenissima scelera Caelio exprobraret.[5]) Quare errare mihi videntur, qui putant priorem amicitiam inter utrumque restitutam esse, postquam Caelius Clodiam deseruit et inimicissime cum ea agere coepit.[6]) Viri illi docti sententiam hanc inde duxerunt, quod Catullus duobus in carminibus[7]) hominem probatae amicitiae Caelium appellat. Sed ut mittamus quod eius, de quo nobis res est, illis quos modo citavimus locis Rufus nomen est, satis multas habeo causas, cur dubitem, num Caelius Catulli idem sit ac Rufus. Ex Catulli enim carminibus colliguntur haec[8]): Caelius et Quintius, iuvenes Veronenses, novis flagrant amoribus; ille Aufilenum, hic sororem eius colit Poeta illi gratulatur, quod amicitiam sibi probarit, cum ipse insito penitus amore arderet; huic minime favet, sed persuadere studet, ut puellam sibi carissimam diligere desinat. Atque Schwabius[9]) quidem putat verba illa et quae cetera ad Aufilenae amorem pertinent composita esse, antequam Catullus Verona patria relicta[10]) Romae Clodiam amare coeperit. Sed

---

[1]) e. g. Cornificius, Quintilius Varus, Helvius Cinna, Licinius Calvus, Asinius Pollio. Boissier l. l. p. 179.

[2]) Amicam eius, quam Lesbiam falso nomine (Ovid. trist. 2, 427) appellat, cuius verum Clodia fuit (Apul. apol. 10), hanc Clodiam, mulierem Helena notiorem (Prop. 3, 32, 87) fuisse, Schwabius l. l. demonstravit. Minus aptis argumentis contra eum disp. Riese, ann. Fleckeis. 105, p. 747—756. 1872.

[3]) Cat. carm. 77. ed. Riese, 1884.

[4]) Catull. l. l. [5]) cc. 71, 69, 59. [6]) cf. Schwabe l. l. p. 142.

[7]) cc. 100. 58. [8]) cc. 100. 82. [9]) l. l. p. 142.

[10]) Catullus, Veronae natus 667/87, Romam migravit anno fere 687/67.

non video, quo referantur verba illa de priore amore ardentissimo, nisi ad Clodiam pertineant. Porro adulescentem duodeviginti undevigintive annorum talia, qualia de Aufilena ab eo scripta aliis locis [1]) legimus, in mulierem nuptam elocutum esse probabile non duco. Cum autem Rufus pessimum amicum Catulli Clodiam amantis se praestiterit, dulcissima illa verba [2]), quibus Caelium allocutus est, ad illum non referam. Accedit gravissimum argumentum, quod supra iam attigimus. Quomodo enim factum sit, ut poeta, postquam Rufus Clodiam deseruit moresque eius perditissimos verbis acerbissimis publico in iudicio [3]) et ipse et per alios [4]) castigavit, amicitiam renovaret cum eo, quocum inimicissime paullo ante versatus esset, quemque summa contumelia obruisset, non assequor. Rufum igitur et Caelium Catulli eundem esse hominem verisimile non est.

Iam ad M. Caelium Rufum revertamur. Consuetudinem cum Clodia iniit prioribus mensibus 695/59 [5]) atque amplius biennio libidinum, voluptatum, conviviorum eius particeps fuit. Non solum Romae in urbe, sed etiam Baiis luxuriosae vitae cum muliere libidinosa tali modo se dedit, ut accusatores postea amores, adulteria, comissationes, alia exprobrarent, nocte eum matronas a cena redeuntes attrectasse dicerent [6]), multoque magis vitam privatam eius premerent [7]), quam illa crimina, quibus in ius vocatus erat. Neque vero Cicero impudicitiae crima ficta esse dicit aut prorsus refutare studet, sed Caelii aetatem et exempla multorum superioris temporis adulescen-

---

Schwabe p. 358. Teuffel, l. l. § 214. Pauly II, 220. Caelius autem patriam reliquit biennio fere prius. Si igitur carmina comparata ad hunc pertinerent, non post annum 685/69 composita esse illa necesse est.

[1]) cc. 110. 111.

[2]) cc. 100. 58. [3]) Quint. 8, 6, 53.

[4]) Num. c. 49 Catullus Ciceroni gratias egerit, quod Rufum defenderit, Clodiam perdiderit, maxime dubium est. Singulas de hac re latas sententias collegit Harnecker in Philolog. 41 p. 469. 1882.

[5]) M. Caelius ille, qui eodem anno (Teuffel, l. l. § 176, 27) contra Flaccum testimonium exhibuit (p. Flacco 4, 11. 40, 100) nihil habet cum Rufo. Publicanus enim et recuperator erat (pro Flacc. 4, 11).

[6]) p. Cael. 8, 20. [7]) ib. 3, 6—4, 9. cc. 11 sq.

tium, qui postea viri illustrissimi in re publica exstiterint, satis illis excusationis afferre contendit.[1]) Saepissime autem fieri, ut libidines prima aetate inclusae et constrictae se profundant nonnumquam atque eiciant universae.[2]) Tanti autem fuerunt deliciarum, et desidiae in urbe sermones, ut Caelii fama omnino labefactaretur, prope obrueretur. Quare primum Atratini nomen de ambitu detulit[3]), ut renovata priore industria illos opprimeret, deinde autem causa ista minus bene gesta omnem cum Clodia consuetudinem fugit. Quod quando factum sit, mox videbimus.

Postremis anni 697/57 mensibus[4]) Caelius L. Sempronium Atratinum, Ciceronis familiarem[5]), lege Calpurnia[6]) ambitus accusavit, ut sermones de vita sua et moribus, qui vulgo ferebantur, morerentur.[7]) Prior haec causa contra illum instituta et acta esse videtur, antequam Caelius a Clodia recessit, quod altera demum de eodem crimine accusatio illam excitavit, ut inimice cum adulescente ageret.[8]) Atque, ut statuamus sub finem fere anni illius causam actam esse, eo inducti sumus, quod initio anni sequentis Caelius Atratinum idem in crimen iterum vocavit et eodem tempore instigante Clodia ab Atratino filio accusatus ast.[9]) Inter utramque autem Atratini accusationem magnum temporis spatium non interfuisse omnes, qui hac de re sententiam tulerunt, viri docti consentiunt. Attamen non faciam cum Drumanno[10]), qui contendit Ciceronem reum defendisse[11]) ideoque fieri non potuisse, ut prius, quam exeunte

[1]) ib. l. l. aliter in epp. de eo iudicavit; cf. ad fam. 2, 15, 5 cum 8. 7, 2. ad Att. 6, 1, 21. p. 1, n. 2. [2]) ib. 31, 75.

[3]) ib. 31, 76. Ciceronis pro Caelio orationem Oetlingius in dissertatione, quam p. 11 citavimus, ita perlustravit, ut accurate exposuerit, quomodo singula crimina orator refutare studuisset. cf. Drum. II, 378 sq.

[4]) vide infra. [5]) p. Cael. 1, 2. 3, 7. 31, 76.

[6]) Zumpt, Criminalproc. p. 531. [7]) v. supra.

[8]) p. Cael. 3, 8. 8, 18. 9, 20.

[9]) p. Cael. 19, 47. Caelii causam ludis Megalensibus actam esse mox demonstraturi sumus. [10]) II, 413.

[11]) idem censuerant Manutius, Abramius. cf. Orelli annot. ad Cael. 3, 7.

anno 697/57 [1]), Atratinus absolveretur. Nititur enim eius sententia eo fundamento, quod Cicero in oratione pro Caelio habita illum necessarium suum atque amicum appellat [2]) et beneficium erga illum sibi tuendum esse dicit. [3]) Ex istis autem verbis pro certo non colligitur Ciceronem Atratini defensorem fuisse, etsi omnino negare non licet. Atque ut rem brevi praecidam, Caelius primum Atratinum accusavit, deinde hoc absoluto a Clodia recessit, denique illum iterum [4]) in ius vocavit et paullo post ipse ab illius filio de vi accusatus est. [5])

Etiam tum, cum magis voluptatibus quam honestis studiis se dedit, Caelius rerum publicarum curam non omnem abiecisse videtur. Ambitus enim maculam eo ipso tempore eum in se admisisse obiectum est. [6]) Dubium quidem est, utrum ipse magistratum petierit repulsamque tulerit [7]), an alium in petendo adiuverit, sive suffragator, sive sequester fuerit, sive argentum diviserit. [8]) Sed aetatis eius ratione habita et vitae, quae, ut vidimus, tum minus eum commendabat, magistratum eum petiisse nobis non probatur. Annum enim vitae tricesimum nondum intrarat, ante quem ex lege Cornelia de magistratibus quaestorem fieri nemini licuit. [9]) Cicero quidem duobus iam annis ante, quando in Palatinum transmigrarit, magistratum eum petere potuisse dicit [10]), sed verba illa non nisi strictim et obiter atque sine omni contentione ab oratore emissa sunt, magis ut veras obtegeret causas, quibus permotus Caelius patris domum reliquerat. Deinde tam stultum fuisse hominem ingeniosum [11]), ut auram popularem sibi favere putaret, quando

---

[1]) pridie Non. Sept. Cicero ex exsilio rediit in urbem. ad Att. 4, 1, 5.
[2]) cf. 1, 2. 31, 76. [3]) 3, 7. Orelli l. l.
[4]) p. Cael. 1, i. 7, 16. 23, 56. 31, 76. 32, 78.
[5]) ib. 1, 1. 29, 70. [6]) ib. 7, 16.
[7]) Drum. II, 412. Pighius ambitus crimine in errorem ductus esse videtur, ut unus Caelium anno 697/57 quaestorem urbanum fuisse tradiderit (ann. III, 375).
[8]) Lange I, 717. [9]) ib. I, 708 sq. III, 154 sq.
[10]) pro Cael. 7, 18. cf. p. 6, n. 1. [11]) p. 9 sq.

mores perditi omnium essent in ore, credibile non est. Repulsa porro lata inter innumerabilia accusatorum crimina nusquam audita est. Denique infinitus ambitus in quaesturae petitione vix admittitur.[1] Causis quas attuli comparatis Zumptium secutus sum, qui pro amico magistratum petente eum elaborasse censet.[2] Tantum constat Caelium quaestorem non antea fuisse, quam de vi accusatus et absolutus est.[3] Nam neque accusatores munus ei obiecerunt, neque Cicero laudavit, quorum alterutrum factum esse magistratu gesto nemo negabit. Ambitus autem crimen haud scio an inde captum sit, quod Calpurnium Bestiam, qui anno 697/57 praeturam petivit[4] et ipse ambitus accusatus est[5], in petitione iuvisse et sequestrem ei se praestitisse videtur.[5]

Impetum utrumque in Atratini famam Caelius non solum frustra fecit, quia reus iterum absolutus est[7], sed alter etiam ei ipsi fons gravis periculi fuit. Postquam enim Clodiam deseruit[8], sive eum consuetudinis cum muliere pertaesum erat, sive parum splendidam se praestiterat, sive alia qualiscumque simultas intercesserat[9], irata[10] illa quomodo poenam sumeret meditata est. Excitavit igitur Atratinum filium[11], ut Caelii nomen de vi deferret ad Cn. Domitium Calvinum praetorem, quod Neapoli seditiones contra rem publicam movisset, quod in Pallae cuiusdam bonis male versatus esset, quod Puteolis legatos Alexandrinos pulsasset, quod Dionem vita privaturus

---

[1]) Zumpt, Criminalrecht II, 1, 274. Adde quod largitio potissimum obiecta esse videtur (p. Cael. 32, 78), Caelii autem opes ille tempore tenuissimae, ne dicam nullae erant. p. Cael. 7, 17. 18, 42. 19, 44. 13, 31. Pro aliis eum argentum divisisse verisimile igitur est.

[2]) Criminalrecht l. l. [3]) Dissentit unus Pighius. cf. p. 20.

[4]) Pauly II, 100.

[5]) a. d. III. Id. Febr. 698/56 Cicero eum defendit (ad Quint. fr. 2, 3, 6).

[6]) pro Cael. 11, 26. Abramius hoc pro certo affirmavit. Orelli ann. ad Cael. 11, 26.

[7]) Zumpt, Criminalprocess 532. [8]) p. Cael. 13, 31. 15, 36. 25, 61.

[9]) Drumann II, 377. [10]) p. Cael. 22, 55.

[11]) ib. 1, 1. 2. 3, 8 saepius. cf. p. 19.

fuisset, quod ipsi denique Clodiae venenum parasset.[1]) Postulatus est lege Lutatia.[2]) Subsciptores Atratini fuerunt L. Herennius Balbus[3]) et P. Clodius.[4]) Defensionem ispe Caelius et M. Crassus et Cicero amici susceperunt. Atque cum de seditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum pulsatione Puteolis, de bonis Pallae Crassus, cuius oratio ad nostram aetatem non pervenit, egerit, factum est, ut nihil fere de illis criminibus compertum habeamus. Quales fuerint seditiones Neapolitanae, non liquet. De Palla nihil nisi nomen habemus.[5]) Legati Alexandrini[6]) Dione Academico[7]) duce Romam ituri erant, ut impedirent, ne rex Ptolemaeus cognomine Auletes, qui ex regno pulsus Romanorum auxilium petierat, ab his reduceretur.[8]) Pompeius Magnus regem in domum suam receptum tuebatur, itaque factum est, ut impune rex legatos in itinere necaret.[9]) Eodem anno 697/57 P. Cornelius Lentulus Spinther consul

[1]) p. Cael. 10, 23. 21, 51 sq.

[2]) ib. 1, 1. 30, 70. Lange II, 666. III, 175. Zumpt, Criminalrecht II, 1, 271 sq.

[3]) Teuffel l. l. § 202, 5. Oetling p. 24. — Brueckner, Leben des M. Tull. Cic. I, 430 sq. et Zumpt, Criminalproc. 226, Herennium (p. Cael. 11, 25. 13, 56) et Balbum (ib. 11, 27. 21, 53) duas fuisse personas credibile ducunt. Sed cum in Caelianae § 29 eadem iisdem fere verbis de Balbo dicta sint, quae in § 25 de Herennio, unam esse personam puto. Idem fortasse est, qui eodem tempore Milonem de vi accusavit (Ascon. in Mil. p. 35 Or.). Drum. II, 323.

[4]) Oetling, Garatonium aliosque (cf. Orelli ad Cael. § 27) secutus, negat Clodium hunc Clodiae fratrem esse, quod Cicero pauca tantum contra eum dicat, quem aliis in orationibus infestissime tractarit, quod eum accusatorem non appellat (§§ 32. 36), quod causae ab eo actae non sint (§ 27). Sed saepissime elocutus est a gente Clodia omnem causam pendere (cf. pp. 19. 21) et ironice amicum Clodium appellat. Praeterea constat Milonem ab eo de vi accusatum esse paullo ante Caelium in ius vocatum. Ascon. in Mil. p. 35. Drumann II, 323.

[5]) Idem nomen legitur in Dionis hist. Rom. 47, 24; sed alia est mulier.

[6]) Strabo 17, 1, 11 p. 677 (Müller).

[7]) Strabo l. l. Cic. Acad. prior. 2, 4, 12.

[8]) Pauly VI, 1, 227.

[9]) Cic, p. Cael. 10, 23. Strabo l. l., qui Pompeium legatos necasse dicit.

auctor fuit senatusconsulti, ut regem reduceret.[1]) Sed C. Cato, tribunus plebis, initio anni sequentis effecit, ut illud tolleretur, quia Sibyllae non placeret.[2]) Iterum de eadem re actum est in senatu Id. Ianuariis[3]), quo die Cicero orationem de rege per Lentulum restituendo habuit.[4]) Crimina porro de insidiis vitae Dionis et Clodiae paratis qualia fuerint, a Cicerone fusius explicatum est.[5]) Cum vero adventus regis Ptolemaei trium criminum, quae Crassus refutavit, fons fuerit[6]), apparet et seditiones Neapolitanas illo tempore motas esse, quo Caelius cum Clodia Baias frequentabat.[7])

Accusatores vehementissime Caelii vitam et mores solutos increparunt magisque in his maledictis, quam in ipsis criminibus operam suam posuerunt.[8]) Nam et Herennius[9]) et Clodius[10]) multa de deliciis eius locuti sunt; Atratino autem, adulescenti septemdecim annorum[11]), illa pars accusationis adeo praecipua data est, ut inde apparet, quod Cicero eam ob rem illos vituperat[12]), salse robustiores[13]) appellans, quibus impudicitiam obicere melius conveniat. Praeterea traditum[14]) est Atratinum in oratione, quam contra reum habuit, ratione consuetudinis eius cum Clodia, quam deseruisset, habita pulchellum eum Iasonem appellasse. Quibus maledictis Caelius ipse imprimis in defensione respondisse videtur. Impetum enim in pudicitiam suam factum ita refutare studuit, ut a Clodia mores suos corruptos esse contenderet, quam quadrantariam Clytemestram et in cubiculo nolam, in triclinio coam vocavit.[15]) Ex amicis

[1]) Dio 39, 12. Cic. ad fam. 1, 7, 4.
[2]) Cic. l. l. Dio 39, 15. 16. [3]) Cic. ad. Q. fr. 2, 2, 3 ad. fam. 1, 2, 1.
[4]) Cic. op. ed. Or. V, 2 p. 348. [5]) p. Cael. cc. 21 sq.
[6]) p. Cael. 10, 23. 8, 18. [7]) cf. p. 7. [8]) p. 18.
[9]) p. Cael. 11, 25 sq. 12, 28 sq. [10]) ib. 11, 27.
[11]) Suet. reliqu. p. 84 ed. Reiff. [12]) l. l. 3, 7.
[13]) pro ‚libidinosiores' Orelli. [14]) Meyer l. l. 485.
[15]) Quint. 8, 6, 53. Sensus conviciorum obscurus est. Quadrantariae cognomen inde emanasse videtur, quod tamquam meretrix nequissima minimo pretio cuique se daret in impudicitiam. Clytemestra appellata est, quod Metellum maritum veneno interemisse ferebatur (p. Cael. 24, 60). Quid sibi velint verba ‚in triclinio coa, in cubiculo nola' non diiudicem. Satis multa de eis verba fecisse videntur Drumann II, 381, Meyer 464 sq.,

autem eius Peliam cincinnatum quendam, fortasse Clodium fratrem, appellasse videtur.[1]) Ipsi Atratino, cuius Cicero nescio qua festivitate eloquentiam praedicat, actionem a L. Plotio Gallo dictatam esse obiecit.[2]) Omnis autem oratio bene polita et elaborata fuit et ingenium atque iudustriam Caelii ostendit.[3])

Secundam defensionis partem M. Licinius Crassus obtimiut, qui de seditionibus Neapolitanis, de bonis Pallae, de Alexandrinorum pulsatione quae dicta erant refellit.[4])

Tertius Cicero totam causam peroravit[5]) indeque formam orationis sumpsit[6]), ita ut magis moveret et delectaret, quam doceret et probaret, quod priorum defensorum fuerat.[7]) Qua re amplissimam occasionem nactus est, ut aculeos costumeliarum in accusatores emitteret, praecipue autem Clodiam castigaret, quae ut causa iudicii[8]), ita oratori inimicissima erat.[9]) Nam fratris consiliis rei publicae perniciosis Cicero omni modo obstiterat eaque subverterat; atque cum gens Clodia maxime elaborasset, ut exsilium Ciceroni pararetur[10]), quid mirum quod facultatem ulciscendi iniurias sibi illatas cupidissime arripuit. Itaque a Clodia initium orationis sumptum est, ad Clodiam orator iterum et saepius revertitur, Clodiae contumeliae exitum orationis faciunt. Illa filium a patre alienavit et suas in domus ascivit[11]), voluptates, libidines, obscenissima scelera docuit, participem conviviorum, luxuriae, flagitiorum fecit, mores eius corrupit, famam perdidit.[12]) Spreta et deserta[13]) mulier poetria[14]), potens, quadrantaria[15]), omnium amica[16]), qui se omnibus

Harnecker, qui nuperrime rem copiose tractavit in Berl. phil. Wochenschrift, 1884, 8 p. 227 sq.

[1]) Quint. 1, 5, 61. Meyer 468.

[2]) Sueton. p. 123 Reiff. Meyer 464. [3]) ib. 19, 45. [4]) p. 22.

[5]) p. Cael. 10, 23. 19, 45. [6]) Oetling p. 24.

[7]) Quint. 4, 2, 27. Drumann II, 378. Oetling p. 25. cf. supra p. 19 not. 3.

[8]) pp. 19. 21.

[9]) Atticus postea quoque cum ea familiariter versatus est et Ciceroni nuntios eorum, quae agebat, dedit. Drum. II, 376.

[10]) Drum. ib. et 243 sq. [11]) p. Cael. 8, 18. [12]) ib. cc. 13 sq.

[13]) p. 21.

[14]) p. Cael. 27. 64. [15]) ib. 26, 62. [16]) ib. 13, 32. 16, 38.

pervulgavit[1]), domum suam omnium cupiditati patefecit, palam se in meretricia vita collocavit[2]), cum fratre minore cubitavit[3]), coniugem sibi odiosum ei invisum interemit[4]), eadem illa mulier adulescentem honestum opprimere studet.[5]) Patronum autem in iudicio adoptavit adulescentem, qui per pudorem crimina impudicitiae aegre elocutus est[6]), quamquam satis multos habet amicos, quos illum maledicendi locum tenere non pudeat. Tali modo cum Clodia cavillatus Cicero magis accusator, quam defensor fuit, itaque iudicum animos a reo plane deduxit et ad illam convertit, ut facillime crimina illata propulsaret magis excusando quam negando, cum certe persuasum haberet, quae de moribus[7]), de familiaritate Catilinae[8]), de sumptibus[9]) obiecta erant, plane ficta non esse. Crimina a M. Crasso perorata silentio praeteriit.[10]) Aurum, ut Dionem necaret, a Clodia non sumpsit. Si enim Caelio aurum ad collocandos servos, qui illum interficerent, dedit, certe non ignorabat, quem in finem daret, cum esset adulescenti familiarissima. Ergo eaedem ei poenae, quae huic solvendae sunt. Sin familiarissima Caelii non fuit, non dedit aurum.[11]) P. Asicius eodem crimine accusatus atque absolutus est, cum Ptolemaeus auctor fuisset caedis.[12]) L. Luccei, hominis sanctissimi et integerrimi, testimonium gravissimum est.[13]) Is, apud quem Dio habitabat[14]), nullum a Caelio per servos facinus commissum esse testatur.[15]) Si ergo aurum non dedit Clodia, reposcere non potuit.[16]) Caelius igitur nullam habuit causam, ut insidias ei pararet.[17]) Testes earum omnino nulli sunt. Quomodo parasset[18]), non nisi fabula ficta demonstratum est. Omnis igitur accusatio sine causa, sine fundamento, sine spe comparata est a libidinosa muliere. Tali modo locutus Cicero

---

[1]) p. Cael. 16, 38. [2]) ib. 20, 49. [3]) ib. 15, 36. 32, 78.
[4]) ib. 24, 59. 60. [5]) ib. 32, 78. [6]) ib. 3, 7.
[7]) p. 18 sq. cf. Macrob saturn 2, 10. sq. Boissier p. 185.
[8]) p. 11 sq. [9]) ib. 7, 17. 17, 42. 19, 44. [10]) ib. 10, 23. p. 24.
[11]) ib. 13, 31. 21, 51 sq. [12]) ib. 10, 23. [13]) ib. 21, 52. 22, 54.
[14]) ib. 21, 51. [15]) ib. 22, 54. 55.
[16]) ib. 23, 56. [17]) ib. l. l.
[18]) ib. 25, 61 sq.

et iniurias a gente Clodia sibi illatas ultus est, et causam amici gravissimam egit optime.[1])

Quod denique ad tempus pertinet[2]), quo Caelius absolutus est, de anno quidem, quantum scio, omnes iam idem sentiunt. Nam quia M. Crassus, qui mense Novembri 699/55 pro consule in Syriam abiit[3]), reum defendit[4]), manifestum est non Cn. Domitium[5]) Ahenobarbum, qui posteriore demum anno praetor fuit, sed Cn. Domitium Calvinum praetorem anno 698/56 iudicio praefuisse. Apud eundem quidem L. Calpurnius Bestia ambitus accusatus fuerat[6]), Sestii autem causa de vi apud M. Aemilium Scaurum acta erat.[7]) Domitius igitur in Caelii causa collegae nescio quo casu impediti munere functus est.[8]) Sed de iudicii die accuratius agendum est. Ante diem III. Id. Apr. Cicero cum Quinto fratre communicavit ex itinere se pridie Non. Maias Romam rediturum esse ex villis suis, in quas iturus erat.[9]) De superioribus porro diebus in priore epistula ita locutus erat, ut vel minimas res post Nonas actas enarraret.[10]) Ante d. VI.[11]) Idus Pompeium visitavit, qui a. d. III. Id. iter in Sardiniam habebat.[12]) Verba, quae addidit Cicero, ‚videre autem volebam, quod eram postridie Roma exiturus' docent eum ante illud iter in urbem reversurum non fuisse. Caelii igitur causa post Nonas Apriles acta esse non

[1]) Attamen negari non potest, quin dignitati et auctoritati suae ipsius Cicero melius consuluisset, si Caelii vitam libidinosam minus excussasset, minore ardore in mulierem minime dignam invectus esset. Oetling p. 62.

[2]) Summa huius loci Aem. Koerneri amicitiae debetur.

[3]) ad Att. 4, 13, 2. ad fam. 5, 8. [4]) p. 24. [5]) p. Cael. 13, 32.

[6]) a. d. III. Id. Febr. ad Q. fr. 2, 3, 6. [7]) mense Martio. Lange III, 325. [8]) ib. 329. Causis de vi non idem praetor, qui de ambitu, praeesse solebat. Zumpt, Criminalpr. p. 7. Propterea Pighius (ann. III, 395) et Manutius de anno dubitarunt. Drumann II, 377.

[9]) ad Q. fr. 2, 7. [10]) Unius diei a. d. VII. Id. mentio non fit. Sed si eo die Cicero pro Caelio orationem habuisset, certe silentio non praeteriisset. [11]) cod. M. III, quod ferri nequit propter verba in § 2 s. f., ubi omnes codd. eundem numerum habent. Orelli et Baiter (in ed. op. Cic., Turici 1845, III.) scribunt VI, Wesenberg (ed. Cic. epp., Lipsiae 1872,) VII; sed ille numerus facilius sine dubio cum III confunditur, quam hic. [12]) ad Q. fr. 2, 6, 2.

potest, neque ipsis Nonis, quia de iis quoque Quintum certiorem fecit.[1]) Atqui ex Ciceronis pro Caelio oratione cognoscitur iudicium diebus festis ludisque publicis[2]) exercitum esse paucisque diebus post Sextum Clodium absolutum[3]), qui a Milone accusatus mense Martio causam tenuerat.[4]) Cum autem inde usque ad Nonas Apriles nulli fuerint ludi nisi, primo Megalesium die, pridie Non. Apr.[5]), hoc ipso die Caelius in iudicium venit. Epistula autem Ciceronis, ubi res illo die actas enarrarat, servata non est[6]), itaque accidit, ut in illis, quae ad nos pervenerunt, nulla mentio magnae, quam a gente Clodia reportavit, victoriae fieret.

Caelium non, antequam causam de vi defendit, ad rem publicam accessisse supra diximus.[7]) Quo anno quaestor fuerit, traditum quidem non est, sed non in errore versari nobis videmur, si dicimus eum illo ipso anno, quo famam prius iam sibi paratam firmavit et auxit, grata aura populari usum quaesturam petiisse et anno sequenti hoc munere functum esse.

Quamquam Clodii inimicitiis, quas Caelio pararant magna se contumelia affecerant, tamen eum insequi non destiterunt. Initio anni 700/54 nomen eius iterum illis auctoribus ad praetorem delatum est, atque tum quidem ad Cn. Domitium

---

[1]) ep. 2, 5. [2]) 1, 1. [3]) 32, 78.

[4]) ad Q. fr. 2, 6, 6. Ut supra demonstravimus, Cicero singula diebus inde a Non. Apr. acta enarravit, a. d. V. Id. autem Roma exiit. Causa igitur Sexti illis diebus acta non est. Quare Wesenbergius iure illam partem epist. 2, 6 cum quarta eiusdem libri coniunxit, quae post a. d. V. Id. Mart. scripta est (2, 4, 1).

[5]) Corp. inscr. Lat. I p. 388 sq. [6]) cf. ad Q. fr. 2, 5 init.

[7]) p. 20 sq. ante annum 698/56 Lupercorum sodalis et decurio erat. Illorum sacris nobiles adulescentes initiari soliti sunt atque minore quidem aetate, cum imberbes discurrere Augustus vetuerit. Suet. Aug. 31. Decurio ex lege Iulia (708/46) municipali quidem ante annum trecentesimum nemo fieri debebat. Sed inde magis colligitur antea minores natu ad illud munus pervenisse, quam Caesarem legem ex consuetudine municipali, qua minime opus fuisset, dedisse. Lange III, 449. Nipperdey, leg. ann. p. 16. Ex Ciceronis igitur verbis (pro Cael. 2, 5) inuria concluditur (Wegeh. p. 4 sq.) Caelium tricesimum annum tum superasse.

Ahenobarbum. Quid causae fuerit, nescimus. Postulatus esse videtur a. d. III. Non. Febr.[1]), cum Id. Febr. decimus esset dies.[2]) Verebantur amici, ne Pola quidam Servius, homo accusandi cupidissimus, accusatoribus subscriberet. Sed neque hoc factum, neque causa omnino acta esse videtur, cum Id. Febr. Domitius iustum iudicum numerum conficere non potuerit. De exitu quidem nihil compertum habemus. Sed de fama Caelii nihil detractum esse inde apparet, quod biennio post tribunatum plebis obtinuit[3]), de quo quae habemus, continuo afferemus, cum interposito tempore de Caelio nihil auditum sit.

Primis iam tribunatus sui diebus eo adductus est, ut, quibus a partibus rei publicae staret, ostenderet. Ante enim d. VIII. K. Febr.[4]) P. Clodius in Appia via cum inimico Milone eiusque comitibus et servis concurrit atque tumultu orto interfectus est. Corpus desertum sub noctem Sex. Tedius forte rure in urbem rediens invenit et in lectica sua Romam ferri iussit. Postero die in lecto positum in atrio domus Clodii ostentabatur, deinde nudum, ut erat, in forum perlatum est. Vulgus autem, quod aderat contionibus a tribunis Q. Pompeio Rufo et T. Munatio Planco contra Milonem habitis, cadaver, ut cremaret, in curam Hostiliam transtulit, simul autem cum illo curiam incendit. Milo proxima nocte ex fuga in urbem rediit, consulatum petivit, argentum divisit. Paucis post diebus M. Caelius contionem ei dedit, qui et ipse pro eo locutus est et Clodium insidias parasse contendit.[5]) Deinde cum apud Pompeium Appii Claudii altque Milonis et comitum eius familias postulassent, Caelius Clodii familiam postulavit.[6]) Ante d. V.

1) Zumpt, Criminalpr. 557. cf. 185.

2) Cic. ad Q. fr. 2, 13, 2, unde cetera quoque de hac re habemus.

3) App. bell. civ. 2, 22.

4) Cic. p. Mil. 10, 27. 17, 45. ad Att. 5. 13, 1. 6, 1, 26. Ascon. in Mil. p. 32 sq. Lange III, 363.

5) Ascon. l. l. p. 34. Cic. pro Mil. 33, 91: ‚caedi vidistis populum Romanum contionem gladiis disturbari, cum audiretur silentio M. Caelius‘. Lange III, 364. Zumpt, Criminalrecht II, 2, 407 sq.

6) Ascon. p. 35. Lange 365. Zumpt 409.

K.[1]) Mart. Pompeius a Sulpicio interrege consul sine collega creatus est, ne dictaturam caperet, cum seditiones manerent.[2]) Ante d. II.[3]) K. Mart. promulgavit legem de vi in Milonem et socios eius intentam, quae durior quam Plautia fuit. Iussum est enim ista lege de Clodii caede extra ordinem quaerendum omnemque causam intra quinque dies agendam et diiudicandam esse.[4]) Obstitit acerrime Caelius et, quod privilegium in Milonem contineret iudiciumque nimis praecipitaret, legem vehementissime vituperavit, ut Pompeius armis, si coactus esset, rem publicam se defensurum esse diceret.[5]) Deinde Caelius cum Manilio collega Galatam, Milonis servum captum, in libertatem vindicarunt, ne contra Milonem testimonium exhiberet.[6]) Sed nihilominus hunc iudicium non fugisse et lege Pompeia damnatum Massiliam in exsilium ivisse notum est.[7]) Magis autem Pompei voluntas, quam facti invidia eum perdidit.[8]) Itaque Cicero, qui Milonis familiarissimus erat, Caelium propter beneficia in hunc collata collaudat his verbis[9]) ‚vir et in re publica fortissimus et suscepta causa firmissimus, et bonorum voluntati et auctoritati senatus deditus, et in hac Milonis sive invidia sive fortuna singulari divina et incredibili fide‘; idemque in Bruto[10]): ‚talis tribunus plebis fuit, ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam a senatu et a bonorum causa steterit constantius‘.

Paullo post damnatum Milonem lege Pompeia M. Saufeius, Ciceronis amicus[11]), accusatus est.[12]) Is cum Milone et Fausta uxore in rheda illius vectus erat, quando Clodius in Appia via Miloni obviam venerat.[13]) Qui cum deinde vulneratus et in tabernam Bovillanam deportatus esset, Saufeius dux fuit eorum, qui istam expugnaverunt, Clodium trucidarunt.[14]) Quare

[1]) Ascon. p. 37. Lange l. l. Zumpt p. 410. [2]) cf. l. l.
[3]) Ascon. ib. Lange 369. Zumpt 414 sq.
[4]) Lange III, 370. [5]) Ascon. p. 37. Lange 371. Zumpt 418.
[6]) Ascon. p. 38. [7]) Dio 40, 53. Ascon. p. 54.
[8]) Vell. Pat. 2, 47. cf. ad Q. fr. 3, 8, 6. [9]) p. Mil. l. l.
[10]) 79, 273. [11]) ad Att. 6, 1, 10. [12]) Ascon. in Mil. p. 54.
[13]) ib. p. 33. ‚Fufio‘ per scriptoris errorem in textum venisse vidit Drumannus II, 343, 57. [14]) Ascon. p. 54.

L. Cassius, L. Fulcinius, C. Valerius eum in ius vocarunt; defenderunt Cicero et Caelius. Absolutus est una sententia.[1])

Praeter illam de vi Pompeius de iure magistratuum quoque legem tulit[2]), qua revocatum est[3]), ne cui absenti magistratum petere liceret. Apparet hanc rem eo spectasse, ne Caesar, quamdiu cum exercitu esset, alterum consulatum petere posset. Quare hic opera decem tribunorum, qui ei favebant, usus est, ut nominatim illa lege exciperetur, cum, antequam imperium in Gallia deposuisset[4]), consulatum petiturus esset. Quod ut assequeretur, Ciceronis auxilium imploravit, per quem Caelium rogavit[5]), ne tribuni se Pompeio destinarent consulatus collegam, sed potius absentis rationem haberent.[6]) Atque cum consul idem contenderet[7]), nova lege Catone tribuno uno obsistente Caesari facillime mos gestus est. Cicero autem paullo post intellexit magna illa gratia Caesaris potestatem nimis auctam esse, itaque priorem suam sententiam primum excusare studuit[8]), deinde omnio infitiatus est.[9]) Sed haud scio an Caelii animus magistri consilio magis etiam a Pompeio alienatus sit, quam causa Miloniana[10]), itaque Cicero primus eum impulerit, ut Caesari studeret, quem postea invito illo secutus est.[11])

Tribunatu perfunctus Caelius Q. Pompeium Rufum collegam[12]), Sullae dictatoris ex filia nepotem[13]), de vi accusavit.[14]) Is seditiosam plebem contione pro exposito Clodii corpore magis etiam in Milonem incitaverat[15]), altera deinde contione habita et Miloni et Ciceroni insidias paraverat[16]), famam distulerat Mi-

---

1) Ascon. p. 54. 2) Sueton. Caesar c. 28. Dio Cass. 40, 56.
3) Lange III, 376.
4) K. Mart. 705/49. Caesar de bell. civ. 1, 32. Sueton. Caesar 26. Dio 40, 51. Lange III, 368.
5) ad Att. 7, 1, 4. 6) ib. l. l. et 8, 2, 3.
7) Appian. bell. civ. 2, 25. 8) ad Att. 7, 6, 2. ad fam. 6, 6, 5.
9) Phil. 2, 10, 24. 10) p. 28 sq.
11) Cic. ad Att. 7, 3, 6. Brut. 79, 273.
12) Ascon. p. 34. 13) Dio 40, 45. 14) Val. Max. 4, 2, 7.
15) p. Mil. 17, 45. Dio 40, 49. Ascon. in Mil. 34, 49.
16) Ascon. 38, 43.

lonis servos et libertos ad Cn. Pompei caedem comparatos esse[1]), ut hic quoque suspicione erga illum afficeretur.[2]) Propter comitiorum consularium dilationem, cuius auctor fuerat, septimo iam anni mense a senatu in cacrerem coniectus erat.[3]) Tribunicio munere functus a Caelio de vi reus factus et propter incendium curiae damnatus est.[4]) T. Munatium Plancum, collegam illius[5]), Cicero eodem crimine in ius vocavit et damnavit[6]), qui hac victoria maxime laetatus est, quod Pompeius reo summam operam dedit, Plancus autem ingratissimum se erga Ciceronem praestiterat, quippe qui antea eum defendisset.[7]) Pompeius Baulos in exsilium abiit, ubi egentissimus vitam degit.[8]) Cornelia enim mater praedia filii fidei suae commissa ei non reddidit. Imploravit igitur auxilium eius, a quo damnatus fuerat. Caelius in iudicium matrem vocavit, litteras, quas acceperat Pompei testes ultimae egestatis, recitavit, causam optime egit. Quare Valerius Maximus eximiam Caelii humanitatem illa in re praestitam iure collaudat.[9])

Causa Pompei acta est primis anni 703/41 mensibus. Sub finem enim mensis Aprilis Baulis iam exsulabat, cum Romae fama ferretur Ciceronem, in Ciliciam pro consule illo tempore profectum, in itinere ab eo interfectum esse.[10])

Iam eo adducta est oratio nostra, ut de omnibus, quas in iudicium Caelius detulit, causis actum sit. Tres enim neque plures fuisse habemus testem Ciceronem, qui, postquam in oratione pro Caelio habita duas ab eo accusationes instructas esse dixit[11]), scilicet contra Antonium et Atratinum, in Bruto praedicat tres[12]), quae omnes ex reipublicae contentione susceptae

---

[1]) Ascon. p. 50 sq. [2]) p. Mil. 25, 67.
[3]) Dio 40, 45. [4]) ib. 55. [5]) Ascon. p. 33 sq.
[6]) Dio l. l. [7]) ad fam. 7, 2, 2. 3. [8]) ad fam. 8, 1, 4.
[9]) Val. Max. l. l.; idem 5, 3, 4 alterum Caelii benevolentiae documentum praebet. Commendavit aliquando Ciceroni C. Popilium Laenatem, qui postea in oratoris sicariis fuit. Cicero eum defendit et salvum Picenum in patriam remisit.
[10]) ad fam. 8, 1, 4. cf. 3, 3. ad Att. 5, 1, sq. Drumann VI, 116. Moll. de tempor. ep. Tull. quaestiones selectae, Berol. 1883, p. 12.
[11]) p. Cael. 32, 78. [12]) Brut. 79, 273.

sint. In errore igitur versati sunt, qui putarunt dictam a Caelio esse causam veneficii in Calpurnium Bestiam, aut D. quendam Laelium postulatum ab eo esse.[1]) Illi enim Ruhnkenium[2]) secuti sunt, qni traditum a Plinio nomen ‚Caecilius' mutavit in ‚Caelius', hi autem nitentur verbis quibusdam Quintiliani[3]), qui tradidit Caelium locutum esse de D. Laelii collegaeque eius in provinciam festinatione. De Ruhnkenii sententia iam initio[4]) disputationis nostrae locuti sumus. Laelii vero res qualis fuerit, prorsus ignotum est[5]), nec diudicare licet, qua occasione data Caelius elocutus sit verba illa. Forstasse testis aliquando fuit contra Laelium, aut in oratione aliqua non nisi praetereundo contentionis eius mentionem fecit.

Mense, ut videtur, Martio[6]) 703/51 Cicero Ciliciam provinciam proconsul sortitus est atque sub finem Aprilis vel initium Mai[7]) ex urbe abiit. Caelius amicum Cumarum tenus sectatus esse[8]) videtur, qui, cum invitissimus provinciae munus subiret[9]), ab illo vehementer petivit, ut omnes res urbanas diligentissime sibi perscriberet.[10]) Ita factum est, ut alter alteri complures epistulas mitteret[11]), quae quidem omnes fere[12]) ad nostram aetatem pervenerunt. Ex quibus cum cognoscatur, quid Caelius illo tempore egerit, immo quid cogitarit, quas in re publica partes secutus sit, plane ex re est in singulas diligentius inquirere.

Caelius post Ciceronis discessum longius spatium temporis non intermisit, quin promissum solveret. Inter enim a. d. IX. K. Iunias et ipsas Kalendas primam Ciceroni epistu-

---

1) cf. Ellendt 128 sq.

2) ad Vell. Paterc. 2, 68. 3) 6, 3, 39. 41. 4) p. 4 n. 1.

5) Quae Pighius de ea disseruit, non nisi coniectura nituntur. cf. Spaldingii notam ad Quint. l. l.

6) Lange III, 382. Moll p. 13. 7) p. 31. n. 10. cf. Moll p. 14.

8) ad fam. 8, 1. 9) ad fam. 3, 2, 1. ad Att. 5, 1, 1. 2, 3. saepius. 10) ad fam. 8, 1, 1. 11) Caelii epp. inveniuntur in epp. ad fam. libr. 8, 1—17. Ciceronis ad Caelium ib. 2, 8—16.

12) Nonnullas periisse suo loco docebimus.

lam misit.[1] Sed nihilominus eum minime diligentem ad litteras scribendas fuisse et ipse fatetur[2]), et inde apparet, quod, quae in urbe acta sunt, per Chrestum[3]) scribam conscripsit, itaque plures[4]) rerum urbanarum commentarios confecit, quorum primum cum prima epistula ad Ciceronem perferri curavit.[5]) Attamen pollicetur se ipsum ea perscripturum esse, quae vel ad futura pertineant, vel maiora acciderint, quam quae operarius iste persequi posset. Cicero allatis sibi litteris statim respondit[6]), nimiam quidem Caelii curam de rebus minime ea dignis vituperans, sed diligentiam collaudans eumque obtestans, ut, quae futura essent, maxime provideret commendatumque potissimum haberet, ne provinciae tempus prorogaretur. Quod quidem tantae ei fuit curae[7]), ut iterum atque iterum eiusdem rei mentionem facere non desisteret.[8]) Cum autem Caelius iam dubitaret, utrum cum Cicerone Pompeium an Caesarem sine eo sequeretur[9]), admonetur illis litteris, ne a Pompei, civis egregii, partibus deficiat. Data est Ciceronis epistula Athenis pridie Nonas Quinctiles.

Paullo post primam Caelius alteram et tertiam epistulam misit, quorum priori novum rerum urbanarum commentarium addidit[10]). Coeperat aedilitatem petere cum duobus competitoribus, M. Octavio et C. Hirro, itaque animo ludos iam volvebat. Quare petivit a Cicerone, ut pantheras sibi ex provincia mitteret syngraphamque Sittii cuiusdam exigeret. Sed utrumque negotium Ciceroni, qui proconsulis innocentis famam servare studebat[11]), molestum fuit, ut silentio ea in epistulis ad Caelium missis praeteriret. Hic vero preces usque repetivit[12]), ut ille tandem rescriberet paucas tantum in Cilicia pantheras esse easque in Cariam emigraturas, ut tutae ab in-

1) ad fam. 8, 1, 2. 4. 2) ib. § 1. 3) ad fam. 2, 8, 1.
4) ib. 8, 2, 2. 11, 4. ep. 11 quoque commentarius adiectus est.
5) ib. 8, 1, 1. 2, 8, 1. 6) ib. 2, 8.
7) cf. p. 32 n. 9. 8) ad fam. 2, 10, 4. 11, 1. 9) ib. 8, 1, 3.
10) ib. 8, 2, 2. 11) ad Att. 5, 21, 5. 6, 1, 21.
12) ad fam. 8, 4, 5. 6, 5. 8, 10. 9, 3.

sidiis essent.[1]) Pecuniam autem Cicero exegisse videtur.[2]) Iure editores epistulas illas mense Iunio missas esse censuerunt, quod quae proximae secutae sunt litterae K. Sext.[3]) maiore intervallo se scriptas esse dicunt[4]), antea autem Caelius diligentiam suam ad scribendum adhibitam praedicarat.[5]) Sed haud scio an epistula VIII, 2 ante a. d. XIII. K. Iulias data sit. Atticus enim a. d. X. Kal. Octobres[6]) Ciceroni perscripsit se Octavio interroganti, num Caelius ex Cilicia pantheras habiturus esset, respondisse se non putare.[7]) Si vero Atticus ex proconsulis litteris acceptis cognoverat Caelium pantheras petivisse, has litteras quadraginta septem diebus ante in Cilicia scriptas esse, Caelii autem nonaginta quattuor ante a. d. X. K. Octobres Romae necesse est, cum epistulae Roma in Ciliciam non prius quam quadraginta septem[8]) diebus perlatae sint. Tertiam autem libri epistulam post secundam datam esse inde apparet, quod de aedilitatis petitione ut de re nota in illa[9]), in hac[10]) de nova agatur. Praeterea illis, quae antea a Cicerone petiverat, Caelius novum adiecit, ut librum sibi mitteret[11]), itaque utriusque amicitiae memoriam proderet.

Caelius speraverat fore, ut mox Ciceronem de eventu comitiorum certiorem faceret.[12]) Sed haec eum spes fefellit, cum usitato tempore longius dilata sint[13]), quamquam aediles plebei et consules creati iam erant.[14]) Quam ob rem aegerrimo animo de tarditate, qua in re publica omnia agerentur, questus est[15]) Ciceronemque admonuit, ut mature constitueret, quid facturus esset, si iusto tempore nemo successisset.[16]) Verisimile enim esse omnem de provinciis rem in posteriorem annum transferri, neque tum Curione tribuno quidquam decretum iri. De tempore, quo haec scripta sint, recte iudicasse mihi videtur

---

1) ib. 2, 11, 2. 2) ib. 8, 11, 4. 3) ib. 8, 4, 5.
4) ib. § 3. 5) ad fam. 8, 3, 1. 6) ad Att. 5, 21, 4.
7) ib. § 5. 8) ad Att. 5, 19, 1.
9) § 1. 10) § 2. 11) ep. 3, 3. 12) ep. 3, 1.
13) mense Quinct. illo tempore haberi soliti sunt. Lange I, 718.
14) ad fam. 8, 4, 3. 1. 15) ib. ep. 5, 3. 16) ib. § 2.

Gruberus.[1]) Postquam enim Caelius K. Sext. scripsit[2]) de provinciis Id. Sext. actum iri, in epistula quinta Marcellum consulem illud quidem urgere, sed frequentem senatum efficere non potuisse dixit.[3]) Ante d. IV. Non. Sept. autem cum Cicerone communicavit reiectam esse causam in K. Sept., quod iustus senatorum numerus non affuisset.[4]) Apparet Caelium hoc non reticuisse, si post Id. Sext. superiorem epistulam scripsisset. Praeterea Cicero initio mensis octobris Caelio, aedili designato, gratulatur tardissimeque nuntium comitiorum sibi perlatum esse dicit.[5]) Itaque comitia post Idus Sext. habita esse credibile non est. Errat igitur Mollius, qui, quamquam a. d. VIII. Id. Oct. Ciceronem Caelio gratulatum esse sibi persuasit[6]), non solum post Id. Sext. illa confecta, sed etiam Caelii epistulam quintam tum demum missam esse contendit.[7])

Omnes, quas adhuc tractavimus, Caelii litteras Cicero in manibus tenebat, cum ipse alteram suam scripsit[8]), in qua paucis verbis Caelio aedilitatem gratulatur. Eorum quidem, quae in epp. VIII, 4 et 5 fuerant, nullam habet rationem et ad epp. VIII, 2 et 3 nonnulla tantum verba referuntur[9]), sed hoc eo factum est, quod otium Ciceroni deerat. Magnus enim hostium numerus ineunte mense Octobri imminebat[10]), atque eo ipso tempore ille epistulam, de qua nobis res est, scripsit, antequam a. d. III. Id. Oct.[11]) imperator appellatus est. At unde scivit Caelium aedilem creatum esse? Vulgo olim putabant Atticum perscripsisse iis litteris, quibus Ciceronis epistula undevicesima libri quinti ad Atticum respondet. Sed id fieri non potuisse, quod Attici epistula a. d. III. Non. Sext. Romae

---

[1]) De tempore atque serie epist. Cic., Sundiae 1836, p. 11.
[2]) ad fam. 8, 4, 4. [3]) § 3. [4]) ad fam. 8, 9, 2.
[5]) ib. 2, 9, 1 [6]) l. l. p. 9. [7]) ib. p. 5.
[8]) Nake: der Briefwechsel zwischen Cic. und Caelius, in Fleck. ann. 89, 1864, p. 60 sq., dubitare videtur (p. 64), num epp. 8, 4 et 5 perlatae sint, antequam Cic. 2, 9 misisset. Sed cum epistula de comitiis tardius iter fecerit, cui 2, 9 respondet, Ciceronem prius missas iam antea tenuisse non dubium mihi videtur.
[9]) in §§ 1 et 3. [10]) ad Att. 5, 20, 2. 3.
[11]) ib. cf. quae praescripta sunt in ep. ad fam. 2, 9.

data esset, Mollius satis demonstravit.[1]) Cum vero alia amici cuiusdam epistula Ciceroni perlata, quae nuntiarit, non exstet, nec liceat dubitari, quin Caelius statim post renuntiationem suffragiorum tantam rem tantae gratulationis[2]) ei perscripserit, hanc eius epistulam servatam non esse nobis probatur. Quae argumentatio firmatur eo, quod Caelii litterae a. d. IV. Non. Sept.[3]) datae sic compositae sunt, ut iam antea Ciceronem de comitiis certiorem fecisse videatur[4]). Deinde ex epistulis eorum postea exaratis colligitur[5]) Caelium aliquando homines misisse in Ciliciam, qui pantheras Romam traducerent. Hi autem litteras pertulerunt[6]), in quibus ille, non solum bestias ut Cicero mitteret et syngrapham Sittiaram curaret, petivit, sed etiam ut ex provincia pecuniam sibi conciliaret. Propter ludos enim aedilicios maximis in angustiis versabatur, quod opibus, quas in illis consumeret, omnino carebat. Ipsum vero huius desiderii puduisse videtur, cum non nisi occultis verbis in posterioribus epistulis mentionem eius faceret.[7]) Atque Cicero illud non explevit, sed, ut cautius viveret, eum admonuit.[8]) Satis demonstrasse mihi videor Ciceronem acceptis quibusdam Caelii litteris, quae servatae non sunt, huic dignitate aedilicia gratulatum esse, deinde alteram epistulam, datam a. d. XVII. K. Decbr.[9]), ei misisse, tum demum litteras eius exaratas a. d. IV. Non. Sept.[10]) accepisse. Cum autem in perditis illis litteris de bestiis potissimum et de pecunia res fuerit, neque renuntiationis nisi obiter mentio facta esse videatur, Cicero suo iure in ep. II, 10 questus est se nullas habere amici litteras datas post renuntiationem, cum accuratius et fusius de ea edoceri cuperet. Praeterea in eadem epistula ad ea recurrit, quae Caelius in epp. VIII, 4 et 5 ipsi perscripserat[11]), magnamque spem triumphi

---

[1]) l. l. initio.
[2]) ad fam. 2, 10, 1. [3]) ib. 8, 9, 2. [4]) ib. § 1.
[5]) ad fam. 8, 9, 3. 8, 10. 11, 4.
[6]) ad Att. 6, 1, 21. [7]) in epp. 9, 8, 11, l. l. et 6, 4.
[8]) ad Att. l. l. In Ciceronis ad Caelium epistulis nihil est, quod huc pertineat.
[9]) ad fam. 2, 10, 3. Moll p. 31 sq. [10]) ad fam. 8, 9, 2.
[11]) cf. §§ 1, 2, 3, 4 cum 8, 4, 4. 5, 1. 5, 2.

se habere fatetur, nec minorem sibi esse timorem, ne munus annuum prorogetur[1]), quod Caelius successionem futuram non esse providerit.[2])

Pergimus porro. Mense Septembri M. Tuccius a Sempronio Rufo lege Plotia de vi accusatus est. Caelius, cum accusatori minime faveret, invocatus reum defendit et periculo liberavit.[3]) Pridie K. Oct.[4]) actum est in senatu de provinciis consularibus. Quod cum Ciceroni maximae curae esset[5]), Caelius satis habuit causae, ut senatusconsulta cum illo communicaret. Continet ea ep. VIII, 8, quam certum est paullo post pr. K. Oct., verisimillimum ipsis Kalendis scriptam esse.

Ante d. XIV. K. Decbr.[6]) Caelius Ciceroni narrat Cassii et Deiotari litteris magnum belli Parthici timorem in urbe excitatum esse. Dissentiri, utrum Pompeius, an Caesar, an consules cum exercitu mittendi sint.[6]) Sed amicum belli gerendi timore eo liberat, quod pollicetur se praestiturum esse, ne imperium prorogetur, ut eius ipsius consilii sit, velitne perseverare. De successore a senatu mittendo cogitari vix licere.[8])

Cicero, quamquam post acceptas Caelii litteras, a. d. IV. Non. Sept. datas, nihil ei perscripserat, tamen illas in epistula, quam proximam misit[9]), non commemorat. Quid mirum? Sunt enim litterae plane commendaticiae, datae paullo post a. d. III. Id. Febr. 704/50, quo die Cicero Laodiceam pervenit.[10]) Ibi M. Fadius familiarissimus cum eo congressus petivit, ut per amicos, quos in urbe haberet, litem ipsius cum fratre de fundo Herculanensi sedaret.[11]) Proconsul libentissime ei morem gerens statim Paetum[12]) et Caelium[13]) paucis verbis hortatus est, ut rem susciperent. In epistula quidem ad Caelium missa nihil dicit de superioribus eius litteris, immo queritur propter hiemis magnitudinem iam diu nihil sibi novi alla-

[1]) §§ 3, 4. [2]) ep. 5, 2. [3]) ad fam. 8, 8, 1. [4]) ib. §§ 5, 6.
[5]) ad fam. 2, 10, 4.
[6]) ep. 8, 10; dies adscriptus est in § 3. [7]) §§ 1, 2.
[8]) § 5. [9]) ad fam. 2, 14. [10]) ad Att. 5, 20, 4,
[11]) ad fam. 9, 25, 2. 3.
[12]) ib. l. l. [13]) ib. 2, 14.

tum esse. Sed ex verbis, quae antecedunt[1]), probabile mihi videtur eum iam scivisse K. Martiis de provinciis actum iri.[2]) Porro verisimile non est Caelii litteras post quinque sexve demum menses perlatas esse, quamquam tantae morae unum habemus exemplum.[3]) Quare in Nakii sententia offendi, qui putat Ciceronem ep. II, 14 prius scripsisse, quam Caelii VIII, 9 et 8 in manibus habuerit.[4])

Sollicitus cura, quidnam de provinciis consularibus decerneretur, exanimatusque desiderio suorum et urbis[5]) initio mensis Aprilis[6]) Cicero iterum Caelium rogavit, ut, quid decretum esset, sibi nuntiaret. Cum igitur hanc epistulam misit, nesciebat, quod Caelius in ep. VIII, 10 scripserat, munus annuum non prorogatum iri.

Interim Caelius K. Ian. 704/50[7]) aedilitatem susceperat, sed parum operis in ea gerenda habebat, ut initio iam magistratus Romae omnia iacere et conglaciare quereretur; gloriaturque se prohibuisse, ne veternus civitatem occuparet.[8]) Cum tabernariis enim pugnavit atque cum aquariis, qui ex ductibus publicis aquam in privatorum hominum usum derivarant, neque prohibuerant, quominus possessores agrorum adiacentium ductus perforarent et aquam publicam suum in commodum deducerent. Caelius contionem habuit, in qua fraudes acerrime vituperavit.[9])

Eodem fere tempore Appius Claudius Pulcher, qui superiore anno proconsul in Cilicia fuerat[10]), a Dolabella maiestatis

---

1) haec sunt: ‚ego res Romanas vehementer exspecto et desidero'.

2) p. 37. 3) ad Att. 5, 21, 4. 4) l. l. p. 66.

5) ad fam. 2, 11, 1. 6) ib. § 2. Pr. Non. Apr. epistulam missam esse plane certum non est. Megalesia enim agebantur a pr. Non. ad a. d. IV. Id., quorum ultimus dies Circensibus ludis celebrabatur. corp. inscr. lat. I. 390 sq. Ad Circenses antem Cicero sine dubio spectavit. Manutius.

7) Lange I, 867. Nipperdey, leges ann. p. 38, 47.

8) ad fam. 8, 6, 4.

9) Frontin de aqu. cc. 75 sq. rec. Dederich. Haupt, ined. lat. p. 99. Meyer 466 sq., 470.

10) Drumann II, 191.

reus factus Caelii auxilium imploravit, ut Cicero ex provincia testes benevolos mitteret. Caelius istam rem proconsuli studiosius commendavit, ne intermissa eius cura suspicio oreretur Ciceronem auctorem criminis esse.[1]) Nam et simultas[2]) inter consulares ipsos suberat, et Dolabella Ciceronis filiam in matrimonium ducturus erat.[3]) Caelius pro gratia beneficii, quod in Appium contulerat, pecuniam se adepturum esse speravit, itaque aegerrime tulit, quod non solum gratiam nullam rettulit Appius nec pecuniam dedit, sed etiam eo ingratiae processit, ut cum Caelii inimicis foedus iniret[4]) et per Polam Servium[5]), hominem accusandi cupidissimum[6]), lege Scantinia de nefanda Venere eum postularet.[7]) Praeterea consilium inierat cum L. Domitio[8]), qui Caelio eam ob causam insidiabatur, quod cum Antonio faciebat, auguratum cum Domitio petente.[9]) Atque cum Appius Pompeio gràtus esse sibi videretur, si Caelium propter gratiam in Antonium collatam reprehendisset, iste a censoris collega Pisone, cui propter partes Caesarianas favebat, auxilium petens adiutus est.[10]) Ita approbante populo statim Appium eadem lege postulavit.[11]) Utraque causa in iudicio Livii[12]) Drusi acta esse videtur. De eventu nihil compertum habemus.

Illis cum Appio eiusque sociis, qui omnes a Pompei partibus stabant, litibus effectum esse videtur, ut Caelius ab illo omnino deficeret et ad Caesarem se conferret.[13]) Honestiorem quidem Pompei causam iudicavit, sed Caesaris firmiorem itaque optimum eorum refugium, qui cum timore aut mala spe viverent. Pompeius senatum secum habuit, adulescentes nobiles

---

[1]) ad fam. 8, 6, 1—3. [2]) Drum. l. l. squ.
[3]) ad fam. 8, 6, 2. 13, 1. 3, 12, 2. ad. Att. 6, 6, 1.
[4]) ad fam. 8, 12, 1. [5]) ib. § 2.
[6]) idem Caelium quadriennio ante minis insecutus erat. p. 28.
[7]) ad fam. l. l. § 2. [8]) ib. § 1. [9]) ib. § 4. eiusd. libr. ep. 14, 1.
[10]) ad fam. 8, 12, 2. [11]) ib. § 3.
[12]) ad fam. 8, 14, 4. cf. Lange II, 667 de lege Scantinia. III, 348. 386 de Druso. ib. 402 de partibus in re publica.
[13]) ad fam. 8, 14, 2. 3.

et audaces, quorum res opesque iacebant[1]), Caesarem secuti sunt. Quid mirum, quod Caelius, cuis fortunae iam diu exhaustae erant[2]), ab eo, cuius amicos[3]), non causam oderat, defecit et in eius agmen se contulit, cuius quidem causam oderat, familiares amplectebatur.[4]) Huc spectant Ciceronis illa ad Atticum[5]): ‚tantum abest, ut meam ille (sc. Caelius) sententiam moveat, ut valde ego ipsi, quod de sua sententia decesserit, poenitendum putem'; et quae legimus in Bruto[6]): ‚cum summa voluntate bonorum omnium aedilis curulis factus esset, nescio quo modo discessu meo[7]) discessit a sese ceciditque, posteaquam eos imitari coepit, quos ipse perverterat'.[8]) De Cicerone aedilis eo meritus est, quod diligentissime egit, ut supplicationes ei decernerentur.[9])

De rebus a Caelio anno 704/50 gestis agentibus nobis restat, ut exponamus, quo tempore quoque ordine eius et Ciceronis epistulae illo anno missae sint.

Ep. VIII, 6 non uno tenore scripta, sed paragraphus quinta paullo post addita est. Perlata autem in Ciliciam esse videtur per eundem tabellarium, qui acta urbana usque ad Non. Mart. eo pertulit[10]), etsi haec acta publica neque a Caelii librario conscripta erant.[11]) Inde autem, quod nihil in iis litteris est de provinciis consularibus, non licet pro certo concludere eas ante Kalendas Martias conscriptas esse. Dies quidem actioni constitutus erat[12]), sed Paullus consul Curioni

---

[1]) Paullum, Curionem, alios magno auri pondere sibi Caesar devinxerat. Pauly IV, 452 sq.

[2]) p. 36. [3]) e. g. Domitium, Appium. cf. ad fam. 8, 17, 1.

[4]) ib. 14, 2.

[5]) 7, 3, 6, scr. a. d. V. Id. Decbr. 704/50. ib. s. fin. cf. p. 3, n. 15.

[6]) 79, 273.

[7]) sed dum Romae fuit Cicero, Caelius iam parum eius consuetudine usus erat. ad fam. 8, 3, 1.

[8]) e. g. Curionem (ad fam. 8, 4, 5. 9, 3) et Dolabellam (ib. 8, 6). Harnecker (p. 40, n. 1) ad mutatum genus dicendi Caelii verba refert. Non video causam.

[9]) ad fam. 8, 11, 1. 2, 15, 1. [10]) ad Att. 6, 2, 6.

[11]) Moll p. 55. [12]) ad fam. 8, 8, 5.

favens eam distulit.[1]) Quare neque illud sententiae nostrae obstat, quod Curio legem viariam, antequam de provinciis actum est, tulisse videtur[2]), cum de his a. d. XIV. K. Apr. nihil decretum esset.[3])

Post Non. Apr.[4]) de supplicationibus Ciceronis actum est, de quibus Caelius eum ep. VIII, 11 certiorem fecit. Simul commentarium misit, in quo fuit, qualem quisque sententiam tulisset. Scripta est igitur epistula mense Apr.

Postridie breviorem illam missam esse, quae in editionibus post sextam libri octavi ponitur, Mollio[5]) assentior. Ciceronis enim ep. II, 15[6]) rescripta est ad Caelii undecimam, septimam, tertiam decimam, ad sextam autem huius ille in tertia decima sua recurrit.[7]) Deinde haec: ‚pluribus verbis scripta pridie dederam' aptius ad epistulam undecimam et commentarium cum eo missum referuntur, quam ad sextam. Propter verba autem, quibus epistula incipit, non necesse est post senatusconsultum de provinciis eam exaratam esse. Caelius enim a. d. XIV. K. Decbr. scripserat se effecturum esse, ne provincia prorogetur[8]), Cicero autem istam epistulam nondum legerat[9]), quando sollicitudinem suam cum Caelio[10]) et Attico[11]) communicavit.

In ep. VIII, 13 Caelius Ciceroni novam affinitatem gratulatur et Hortensium animam agere nuntiat. Quae quando acciderint, quaerendum est, ut tempus, quo epistula scripta sit, definiamus. De Tulliae collocatione Cicero superiore iam anno diligentissime cogitarat et Atticum, ut rem curaret, rogarat[12]); simul etiam Caelio eam mandarat, qui rem recordatus est, ut primum mense Februario uxor a Dolabella recessit.[13]) Hic enim

---

[1]) ad fam. 8, 6, 3. 2, 12, 1. Lange III, 392.

[2]) ad fam. 8, 6, 5. App. bell. civ. 2, 27. Lange II, 391 sq.

[3]) Lange ib.

[4]) ib, 393. Hofmann, de orig. bell. civ. Caes. comm., Berol. 1857, p. 16. Moll p. 55.

[5]) p. 54. [6]) cf. §§ 1, 2, 5 cum ad fam. 8, 11, 1. 13, 1. 7, 2.

[7]) cf. §§ 1, 2 cum 8, 6, 1. 2. 5; § 3 cum 8, 6, 3. 4.

[8]) ad fam. 8, 10, 5. p. 37. [9]) p. 38. [10]) ad fam. 2, 11, 1.

[11]) ad Att. 5, 20, 7. [12]) Drumann IV, 698. 699.

[13]) ad fam. 8, 6, 1. 2.

e gente patricia ortus erat, Cicero autem exoptarat, ut talis vir filiam in matrimonium duceret.[1]) Quare verisimile non est Ciceronem homines illos, qui pro Tib. Nerone cum Terentia et Tullia agerent[2]), tum demum ex Cilicia misisse, cum scivit Dolabellam Tulliae studere. Atque cum illi factis sponsalibus in urbem venerint[3]), apparet Tulliam celerius desponsam esse, quam pater fore sperarat. Adde ipsius verba: ‚ego, dum in provincia omnibus rebus Appium orno, subito factus sum accusatoris eius socer'. Appii autem causa de maiestate, quam verba spectant[4]), acta est Non. Apr.[5]), nuntiusque victoriae Appii Ciceroni allatus sub finem mensis Mai. Apparet igitur Tulliam antea collocatam esse. De Hortensii autem morte haec habemus:

Diem supremum obiit perpaucis diebus post quam cum Bruto Appium defendit.[6]) Atqui Appius duobus simul criminibus accusatus fuit, maiestatis et ambitus.[7]) Causa illa acta est Non. Apr., haec exeunte mense Maio[8]) vel ineunte Iunio.[9]) Quaeritur igitur, quam causam Hortensius cum Bruto defenderit. Profecto de maiestate.[10]) De hoc enim iudicio Cicero ad eum scripsit[11]): ‚iucundissimum mihi fuit, quod Pompei et Bruti fidem benevolentiamque mirifice laudas: laetor virtute et officio cum tuorum necessariorum, meorum amicissimorum, tum alterius omnium saeculorum et gentium principis, alterius iam pridem iuventutis, celeriter, ut spero, civitatis'. Quibus cum verbis si contulerimus, quae Cicero eadem de causa Caelio perscripsit[12]), non licet dubitare, utrum Hortensius Brutusque Appium in causa maestatis an ambitus defenderint.

Sed fuerunt, qui ferri non posse putarent hanc sententiam[13]), cui obstarent nonnulla veterum dicta. Videamus, qualia

---

1) Drum. l. l. 2) ad Att. 6, 6, 1.
3) ad Att. ib. 4) ad fam. 8, 6. 5) ib. 3, 11, 1.
6) Brut. 64, 230. 94, 324. 7) ad fam. 3, 11, 2.
8) Lange III, 398. 9) cf. ad fam. 3, 12. 13.
10) Drum. III, 103. Pauly II, 414. Lange III, 398.
11) ad fam. 3, 11, 3. 12) ib. 2, 13, 2.
13) Hofmann p. 86 sq. Nissen in von Sybels histor. Zeitschr. 46, p. 68. Moll p. 56.

sint eorum argumenta: Appius in ea epistula, in qua absolutionem maestatis narravit, novam Ciceronis affinitatem ne verbo quidem attigit, sed iis demum litteris Ciceroni gratulatus est, quibus eum de felice exitu causae ambitus certiorem fecit.[1]) Nonne hac re sententia nostra firmatur? Non dubium enim est, quin Appius, postquam absolutus sit, statim Ciceroni victoriam perscripserit, cum hic in ea re elaborasset.[2]) Hortensius autem non eo ipso die, quo illum defendit, sed nonnulis post mortuus[3]), et hoc fere tempore Tullia Dolabellae desponsa est. Appius igitur in una eademque epistula de utraque re agere non potuit, sed de collocatione in ea demum, quae proxima secuta est.[4]) Porro inde, quod Cicero in ea epistula, ubi Appio de supplicationibus gratias agit, apertis verbis de sponsalibus non loquitur[5]), nihil colligitur, quod sententiae nostrae obstet. Prius enim de illis quam de his certior factus erat.[6]) At Cicero dicit Rhodum in insulam nuntium de Hortensii morte sibi allatum esse.[7]) Quo cum venerit ineunte mense Sextili, contendunt illi viri docti nimium temporis spatium intercessisse inter diem, quo ille mortuus sit, et eum, quo Cicero compererit. Sed cum Caelii litteras Sidae[8]) iam in manibus habuerit, nimis extenuatur illud spatium, si Hortensius, ut illi volunt, medio mense Iunio pro Appio locutus et nonnullis diebus post mortuus est. Concedendum quidem est nuntios illos de Hortensio mortuo et de Ciceronis familia tardius perlatos esse. Sed vide, quod hic a. d. V. K. Quinct. ad Atticum[9]) scripsit iam diu nihil se novi nec de suis nec de republica audivisse, et quod Caelius de mora servi questus est, qui litteras perferebat[10]), et habes retardationis causam. Denique haud scio an consulto Sidam epistulae missae sint. Cicero enim se omnem men-

---

[1]) ad fam. 3, 12, 2. [2]) ad fam. 2, 13, 2. 8, 6, 1—3.

[3]) p. 42; utrumque diem viri illi docti confuderunt neque tenuerunt Caelium non de mortuo sed de moribundo oratore loqui.

[4]) cf. ad fam. 3, 12, 1. [5]) ib. ep. 13. [6]) p. 41.

[7]) Brut. 1, 1. Caelii quidem litteras prius acceperat (ad fam 2, 15. ad Att. 6, 6); sed cf. n. 3. h. pag. et Bootii not. ad ep. ad Att. citat. § 2.

[8]) ad fam. 3, 12, 4.

[9]) 6, 5, 1. dies adscriptus est in § 3. [10]) ad fam. 8, 12, 4.

sem Quinctilem in itinere consumpturum esse Attico perscripserat.[1])

Ineunte mense Sextili Caelius comitiorum consularium eventum Ciceroni tradidisse videtur.[2]) Epistula vero, quae eum enarravit, periit.

Mense Septembri exaratae sunt epistulae VIII, 12 et 14, altera sub summos ludos Circenses[3]), qui a pr. Non. Sept. usque ad a. d. XII. K. Oct. celebrabantur[4]), altera ante a. d. VIII. K. Oct.[5]). Haec enim Ciceroni tradita esse videtur ab Acasto, qui pr. Id. Oct. Athenis complures ei litteras attulit itinere uno et viginti diebus confecto.[6]) Nam eodem die Cicero Atticum rogavit, ut perscriberet, quid de signis et tabulis fieret, de quibus Appium censorem acturum esse a Caelio compererat.[7])

Praeter duas illas, de quibus supra egimus[8]), Cicero tres epistulas anno 704/50 Caelio misit, tertiam decimam, duodecimam, quintam decimam. Primam illam scripsit paullo post quam litteras de Appio et Dolabella accepit.[9]) Exarata est Laodiceae post confectam K. Maiis iurisdictionem, sed antequam Cicero in Ciliam rediit, quo Non. Maiis iturus erat.[10])

Circiter Id. Iun.[11]) ep. II, 12 data est. Quod mense Aprili de supplicationibus decretum erat, proconsul nondum audierat neque Appii litteras Non. Apr. datas, quae quidem tardius perlatae sunt[12]), acceperat.

Ep. II, 15, in qua respondetur Caelii undecimae, septimae,

---

[1]) ep. 6, 2, 6. [2]) ad fam. l. l. Lange III, 399, 19.

[3]) ad fam. 8, 12, 3. [4]) corp. inscr. lat. I, 401.

[5]) De tempore, quo utraque data sit, nuper Nissenium secutus accuratius disputavit Sternkopf, quaest. chron. de rebus a. Cic. annis 704 et 705 gestis, Marburgi 1884, p. 23 squ. Cui cum assentiar, rem iterum tractare supersedi.

[6]) ad Att. 6, 9. Sternkopf p. 26. [7]) ad fam. 8, 14, 4.

[8]) p. 37 sq. [9]) § 1, 2. cf. 8, 6, 1. 2. 5; cum § 3 cf. 8, 6, 3. 4.

[10]) § 3. ad Att. 6, 2, 4. 6.

[11]) ante d. III. K. Sext. Cicero provincia decessurus erat. ad Att. l. l. Ergo circ. Id. Iun ep. scripta est. cf. § 1 et ad Att. 5, 19, 1.

[12]) ad fam. 3, 11, 1.

tertiae decimae [1]), circiter Kal. Sext. [2]) missa est, fortasse a. d. III. Non., quo die etiam epp. ad Atticum VI, 6 et ad familiares III, 12 Sidae scriptae esse videntur. Nam quae de Hortensio dicta sunt [3]) non habent offensionem, etsi Rhodum in insulam de morte aemuli nuntius Ciceroni allatus est. [4]) Ex Caelii enim verbis [5]) sine dubio colligi licuit illum tum, cum haec perlata sunt, de vita decessisse. Nihil igitur interest, utrum Ciceronis illa ad mortuum [6]) an ad moribundum oratorem [7]) referantur.

Omnes, quas ad huc tractavimus, Caelii et Ciceronis epistulae missae sunt, dum hic ab urbe aberat. Sed etiam postquam ex Cilicia rediit, alter ad alterum complures litteras [8]) dedit, cum Cicero plerumque ruri esset Pompeique partes tueretur [9]), Caelius in urbe et in provinciis Caesaris rebus studeret. Superiore enim anno ab illius, quem antea secutus erat, causa magis magisque alienatus erat. Iam paullo post Ciceronis ex urbe exitum iudicium minus gratum de eo tulerat [10]), attamen diu haesitavit dubitans, utrum ducem sequeretur. [11]) Odiosa erat Caelio causa Caesariana, sed magis odiosi Pompei quidam amici, cum quibus inimicitiae ei intercesserant. [12]) Deinde rem familiarem omnem perdiderat [13]) satisque intellexerat tali homini in bonorum societate non esse locum, qui ex rerum publicarum eversione eversae rei familiari remedium quaereret. Ita factum est, ut mense fere Novembri [14]) ad Caesarem transfugeret, antequam Ciceroni redeunti in Cumanum obviam venit. [15]) Quare Cicero questus est suo discessu Caelium a sese discessisse. [16])

---

[1]) cf. §§ 1, 2, 5 cum 8, 11, 1. 13, 1. 7, 2. [2]) § 4. cf. p. 44 n. 11.
[3]) ad Att. l. l. § 2. [4]) Brut. 1, 1. p. 43.
[5]) ad fam. 8, 13, 2 s. f. [6]) cf. Moll. p. 44.
[7]) Drumann VI, 181.
[8]) Sunt Caelii 15, 16, 17, Ciceronis 16. Sed unam huius epistulam periisse verisimillimum est. ad fam. 2, 16, 1. 8, 16, 1.
[9]) Drumann VI, 193 squ.
[10]) ad fam. 8, 1, 3. 2, 8, 2. [11]) ib. 8, 11, 3. 14, 3.
[12]) Domitius, Appius. ib. 12, 1. 17, 1. 14, 3. [13]) p. 36.
[14]) ad Att. 7, 3, 6. Sternkopf p. 38. [15]) ad fam. 2, 16, 3.
[16]) Brut. 79, 273. p. 40.

K. Jan. 705/49, quo die Cornelius Lentulus et C. Claudius consulatum inierunt, litterae Caesaris consulibus a Curione familiarissimo eius redditae sunt.[1]) Caesar se exercitum esse dimissurum promisit, si Pompeius idem fecisset. Sed huic voluntati obtemperatum non est, quia senatus persuasum habebat Pompeium nihil contra rem publicam moliturum esse. Deinde M. Calidius tulit, ut Pompeius in provinciam suam abiret, ne armorum esset causa.[2]) Sed praeter Caelium et Curionem nemo in hanc sententiam cessit. Caesarem autem pro patriae hoste habendum esse, nisi ante diem constitutum exercitum dimisisset[3]), senatus censuit. Quo decreto Caelius et Curio cum Antonio et Cassio tribunis plebis, qui curia moti erant, Ravennam in Caesaris castra noctu se contulerunt.[4]) Is senatusconsultis cognitis fines provinciae suae egressus civibus suis bellum intulit.[5]) Corfinio mense Februario capto cum ipse Brundisium ad persequendum Pompeium profectus est[6]), Caelium cum cohortibus Intemelium misit, ut tumultum ibi ortum sedaret.[7]) Hic autem speraverat fore, ut ampliores in se honores conferrentur.[8]) Iam cum Ariminum[9]) oppugnaretur, cum Caesare esse eum poenituerat noctuque ad Ciceronem venerat, ut consilium eius exquireret. Antequam autem Intemelium se contulit, epistulam ei misit, in qua aperte profitetur se minime sorte sua contentum esse.[10])

K. Apr. Caesar Brundisio revertit[11]), per aliquot dies frustra cum senatu egit, pecuniam ex aerario publico vi deprompsit,

[1]) Dio hist. Rom. 41, 1. Caesar de bell. civ. 1, 1. Cicero ad fam. 16, 11, 2.

[2]) Caesar l. l. c. 2. Dio l. l. c. 2. [3]) i. e. K. Mart. p. 30. n. 4.

[4]) Caesar l. l. c. 5. Dio l. l. c. 3. [5]) Lange III, 409.

[6]) ib. p. 412. Sternkopf p. 55. [7]) ad fam 8, 15.

[8]) Gloriam suam nihil ad se pertinere queritur l. l. § 1. Caesar revera non magni eum aestimasse videtur, quippe qui per Trebatium cum Cicerone egerit, quod et hic admiratus est. ad Att. 7, 17, 4.

[9]) ad fam. 8, 17, 1; ‚Arimino‘ hoc loco scribendum esse certum est. M. habet ‚Arimini‘. cf. Drum. II, 419, 25.

[10]) ad fam. 8, 15. Ep. datam esse, antequam Caelius Intemelium venit, ex § 2 elucet. Diem indagari non licet. cf. Sternkopf p. 59.

[11]) ad Att. 9, 17, 1. 19, 2; in itinere cum Cicerone convenerat ib. ep. 18.

paullo post in Hispaniam profectus est[1]), quo Caelium secum duxit.[2]) Ut primum cum hoc convenit, enarravit se audiisse Ciceronis consilium ad Pompeium proficiscendi. Inde factum est, ut Caelius illum hortaretur, ne propositum exsequeretur, simulque Caesarem rogaret, ut ipse litteras de hac re Ciceroni mitteret. Imperator huic desiderio obtemperavit ex itinere a. d. XV. K Maias.[3]) Profectus autem esse videtur circiter Idus Apriles.[4]) Caelius autem statim, postquam circiter a. d. VI. Id.[5]) cum Caesare congressus est, suas litteras dedisse videtur[6]), ad quas Cicero continuo rescripsit ep. II, 16.[7])

Caesar mense Novembri[8]) ex Hispanio rediens Caelii spes omnes, quibus potissimum nisus partes suas mutarat, fefellit. Non enim bona et possessiones proscripsit, sed aequam legem de pecuniis mutuis tulit, qua debitorum quidem condiciones meliores redditae, creditorum autem iura servata sunt. Constituit enim: ‚ut per arbitros fierent aestimationes possessionum et rerum, quanti quaeque earum ante bellum fuissent, atque hae creditoribus traderentur‘.[9]) Tali modo cum omnis occasio sublata esset, ut aere alieno suam rem augeret, Caelius suo Marte rebus suis afflictis consulere studuit. Comitiis habitis praetor creatus est[10]); sed praetura urbana a Caesare C. Trebonio, qui Massiliam expugnarat, tradita est, ut Caelius praetor

[1]) Caesar l. l. 32, 33. Dio l. l. 15—18. [2]) ad fam. 8, 16, 4.
[3]) ad Att. 10, 8 B. [4]) ad Att. 10, 4, 8.
[5]) Caesar enim sex septemve dies in urbe fuit; ib. 10, 8, 6.
[6]) cf. ad fam 8, 16, 4.
[7]) cf. § 6; superior Ciceronis epistula servata non est. p. 44, n. 11. An ad Caelium Rufum referenda sint, quae leguntur in ep. ad Att. 10, 12b, 2. 14, 3. 15, 2. 16, 4, non liquet. Sed fortasse iam tum Caelius contra Caesarem tumultum movere in animo habuit, quocum verba bene convenirent. Quia persuasum habeo Ciceronem ep. 2. 16 ideo misisse, quod sperabat Caelium eam ante iter institutum accepturum esse, cum Sternkopfio facere non possum, qui Caelii et Caesaris litteras una missas esse ideo censet, quod Cicero utriusque eodem tempore mentionem facit. ad Att. 10, 8 B. 9, 2.
[8]) Lange III, 418.
[9]) Caes. bell. civ. 3, 1. Sueton. Caesar 42. Lange III, 421.
[10]) Caes. bell. civ. 3, 20. p. 5. Nipp. leg. ann. 38. 47. Lange I, 709, 3. Mommsen, Röm. Staatsrecht I, 440,$_1$.

peregrinus fieret, quod quidem munus minus habebat dignitatis, quam illud.[1]) Aegerrime id ferens omni modo collegae adversatus est eumque prohibuit, quo minus munere fungeretur. Debitorum causam suscepit iisque auxilium fore promisit, qui de aestimatione et solutione ex lege Caesaris appellassent.[2]) Cum autem nemo invocasset, ipse legem tulit, ut sexenni die[3]) sine usuris creditae pecuniae solverentur, i. e. ut aes alienum intra sex annos creditoribus redderetur, usurae autem interim non darentur. Cui legi cum resisteret Servilius consul, neque ex populo essent, qui faverent, alias duas continuo promulgavit, quorum altera habitationis mercedem annuam conductori donavit, altera tabulas novas protulit. Ita multitudinem sibi conciliavit impetuque in Trebonii tribunal facto eum deturbavit. Tum Servilius consul cohorte praetoria se circumdedit ex militibus, qui in Galliam ibant, comparata. Senatum coegit, qui Caelium a re publica removendum esse censuit. Eius auctoritate nisus consul tabulas, in quibus Caelii leges scriptae erant, tolli iussit, sellam eius curulem fregit[4]), senatu eum movit, contionem ne haberet, impedivit. Mandatum enim consuli erat, ne quid detrimenti res publica caperet.[5]) Illa in desperatione rerum omnium Caelius ultimas ad Ciceronem litteras[6]) misit, quibus Caesaris partes et amicos detestatus seque iam effecisse gloriatus est, ut omnes in urbe praeter faeneratores nonnullos Pompeio studerent. Se Pompeium vincere coacturum esse.[7]) Missa est igitur epistula[8]), antequam Pompeius victoriam ad Dyrrhachium reportavit.

Interea Caelius nuntiis ad Milonem missis, qui Massiliae exsul aetatem degebat, amicum in Italiam revocavit. In eo

---

[1]) Dio 42, 22. Lange I, 779 squ. Festus s. v. ‚maiorem' et ‚maximum' p. 161. Caesar contra morem egit, praetores enim sortiebantur provincias. cf. App. bell. civ. 2, 112. Plut. Brut. 7.

[2]) Caesar bell. civ. 3, 20. 21. Dio l. l. 22—25.

[3]) codd. sexies seni die; edit., quas inspexi, omnes secundum P. Manuti coniecturam sexenni die. cf. ad fam. 7, 23, 1. ad Att. 12, 3, 2 ‚annua die'. Lange III, 426 sq.

[4]) Quint. 6, 3, 25.

[5]) Dio l. l. 23. [6]) ad fam. 8, 17. [7]) § 2.

[8]) Mense fere Aprili 706/48. Fischer, Röm. Zeittafeln 278.

maiorem spem posuerat, quod gladiatoriae familiae reliquias habebat.[1]) Contra Caesarem autem eum libenter pugnaturum esse inde deduxit, quod exclusus erat eorum numero, qui illius lege[2]) in integrum restituti erant. Milonis igitur auxilio fretus Caelius tumultum contra Caesarem in Italia excitaturus erat.[3]) Sed etiam haec eum spes fefellit. Milo quidem cum cohortibus in Italiam venit, sed nihil profecit. Caelius urbem egressus simulavit se ad Caesarem proficisci. Servilius autem consul suspiciosus, ut custodiretur, curavit, ne quid novi moliret. Miloni bellum indictum est. Attamen Caelius parum caute custoditus effugit. Sed frustra Italiae inferioris incolas sollicitare conati sunt. Milone interfecto Caelius Thurios pervenit. Ibi equitibus Caesaris, qui praesidii causa in illa regione versabantur, pecuniam pollicitus est, ut eos sibi conciliaret. Cum vero cum iis convenit, occisus est[4]), itaque quod Ciceroni timuerat[5]) in ipsum conversum est.

---

[1]) Caesar l. l. 21. Dio l. l. 24. [2]) Caesar l. l. 3, 1.

[3]) Fortasse tale quid iam diu cogitarat, ut hoc respiciens Cicero dubia illa ad Atticum sup. anno scripsisset, quae supra attulimus p. 47. n. 7. De Milone cf. p. 28 sq.

[4]) Caesar de bell. civ. 3, 20 sq., Vell. Pat. 2, 68. Dio 42, 24 sq. Paulum discrepant inter se auctores. Vell. nihil tradidit de hac coniuratione, nisi Milonem Compsam oppugnantem, Caelium ad Thurios occisos esse. Dio narrat Milonem tumultu Capuae moto ex Campania pulsum in Apulia periisse; Caelium cum eo omnino non convenisse, sed in Bruttia post eum interfectum esse. Quare haud scio an in Caes. comm. ‚Compsa in agro Hirpino‘ legendum sit, qui quidem finitimus est Apuliae. Kraner ad Caes. l. l. c. 22, 2. Drum. II, 421.

[5]) ad fam. 8, 14, 4.

Conspectus vitae Caelii.

p. u. c.	a. Chr. n.		p.
669	85	M. Caelius Rufus natus est.	4
685	69	ad Ciceronem deductus est.	9
691	63	a Cicerone ad Catilinam transiit.	11
692	62	in Africam profectus est.	12
694	60	ex Africa rediit.	13
695	59	contra Antonium locutus est.	14
695—697	59—57	cum Clodia consuetudinem habuit.	16
697	57	Atratinum ambitus accusavit.	19
698	56	eundem iterum in ius vocavit.	19
698	56	causam suam de vi defendit.	21
699	55	quaestor fuit.	27
700	54	a gente Clodia accusatus est.	27
702	52	tribunus plebis fuit, M. Saufeium defendit, Q. Pompeium Rufum accusavit.	28
703	51	M. Tuccium defendit.	37
704	50	aedilis curulis fuit, contionem de aquis habuit, Appium accusavit.	38
705	49	in Caesaris agmen se contulit.	46
705	49	in Hispaniam iter fecit.	47
706	48	praetor fuit.	47
706	48	interfectus est.	48

Caelii ad Ciceronem epistulae (pp. 32 sq.) missae sunt hoc ordine:
ad fam. VIII, 1. 2. 3. 4. 5. 9. 8. 10. 6. 11. 7. 13. 12. 14. 15. 16. 17;

Ciceronis autem ad Caelium (ib.) hoc:
ad fam. II, 8. 9. 10. 14. 11. 13. 12. 15. 16.

Vita.

Natus sum Heinricus Wieschhoelter Liesbornae Guestfalorum anno h. s. LXI. patre Francisco, matre Anna e gente Boecker. Patris dilectissimi obitus mense Martio huius ipsius anni summo me dolore affecit, matrem optimam iam ante hos duodecim annos fato defunctam esse cotidie queror. Fidem profiteor catholicam. Litterarum rudimentis imbutus et primordiis liberalium studiorum in patrio vico instructus puer quindecim fere annorum gymnasium, quod est in oppido Coesfeld, adii, cuius disciplina per tres annos usus sum. Maturitatis testimonio instructus Academiam Monasteriensem petivi studiis philologicis operam navaturus. Per bis senos menses ibi versatus Lipsiam me contuli, per aestatem anni h. s. LXXXI. Gottingae studiis vacavi. Deinde in civium Academicorum Lipsiensium numerum iterum receptus per maius temporis spatium infirma valetudine usus sum, ut studiis me dare minus mihi liceret. Quare summo affectus sum gaudio, cum viribus recreatis ea continuare potui. Scholis autem interfui virorum doctissimorum Hagemann, Koerting, Langen, Niehues, Nordhoff, Stahl, Monasteriensium; Baumann, Goedeke, W. Mueller, Volquardsen, Sauppe, Gottingensium; v. Bahder, Biedermann, Curtius, Drobisch, Eckstein, Heinze, Hirzel, Lange, Lipsius, Ribbeck, Struempell, G. Voigt, Zarncke, Lipsiensium. Per tria semestria spatia Lipsiae et Gottingae seminarii regii philologici sodalis fui extraordinarius simulque proseminarium frequentavi, per duos annos seminaria et Germanicum et paedagogicum Lipsiae obii.

Viris clarissimis cum omnibus, qui inde a pueritia me docuerunt, gratiam habeo quam maximam semperque habebo, tum vero prae ceteris benignitate me sibi obstrinxerunt praeceptores illustrissimi Lange, flebili morte nuper nobis ereptus, et Lipsius, quorum comitate factum est, ut exercitationibus antiquariis interesse mihi liceret, unde his potissimum studiis operam dedi.